

W E N G A

Sive

Informatio Historica de Exempto Collegio S. Archang. Michaelis ad Insulas Wengenfes Cann. Regg. Ulmæ Suevorum.

Authore RR. DD. Michaelis III. Ejusdem Collegii Ccononico-Regulari Prælato. &c. &c.

P R Æ F A T I O.

**N**ihil equidem, quamdiu in vita superstes erat, admodum Reverendus & Clarissimi nominis Scriptor D. Franciscus Petrus, Imperialis Canonice & collegiatae Ecclesiae Wettenhusanae olim Canonicus, magis in votis habuit, quamprimum scribendae Germaniae Canonico-Augustinianae animum appelleret, nervosque omnes intenderet, ut perfectum prodiret opus, quam de omnibus & singulis Canonorum Regularium Collegiis bene mereri, ac pleniorrem de iis, saltem adhuc in flore persistentibus, ope calami sui publicae luci exhibere historicam notitiam. Hac intentione animatus plurimum laboravit, sudavit, & alsit, missisque ultro citroque in omnem Germaniam litteris pro communicatione documentorum, ac necessariorum monumentorum apud eos, quorum intererat, instantissime supplicavit, summa humanitate Reverendissimorum Præsulum interpellavit gratiam, summorum Patronorum fatigavit aures, amicorum imploravit operam, Praefectorum, qui Bibliothecis, & Archivis Monasteriorum praerant, sollicitavit benevolentiam. Et quis non illico justissima approbet Historiographi nostri desideria? quod tamen opere non praestiterit, quae voluit, quod brevissimam subinde celeberrimorum Asceteriorum texuerit historiam, quod tot hiulcos reliquerit Religiosorum Antistitum Catalogos, aut sola duntaxat illorum nomina jejuno descripserit calamo, minime illius evolvendis historicorum monumentis socordiae, aut negligentiae adscribendum esse puto, sed aliis longe causis, quas, ne pallidis quoque mortuorum manibus ruborem incutiam, silentio praetereundas esse censeo. In descriptione wengensis nostri Collegii, non quidem adeo parca usus est manu, quae tamen omnia, & ni fallor, etiam plura apud Casparum Bruschiium legimus, si, pauca illa excipiam, quae post Venerabilis Ambrosii Kauthii tempora, usque ad Joannem Abbatem insulatum secundum superaddidit. Sed hic iterum egit, quae potuit, nec plus dare notitiae potuit, quam ab Antecessoribus nostris accepit, optimorum Documentorum stragem merito causantibus. At nec illo tempore Chartophylacium nostrum eo ordine erat dispositum, ut necessaria auxilia absque summa molestia & non nisi cum majoris confusionis periculo avido scriptori potuissent suppeditari. Ego in labores illius ingressus Officii partium mearum esse duxi, supplendi hunc defectum liberaliori calamo, quantum scilicet & circumstantiae loci, ac temporum, ac propriae vires permiserint. Ob tot deperditas Collegii nostri chartas, ob tot injuria temporum invidiae dentibus dilaceratos, aut a tineis comefos, aut ereptos nobis Manuscriptos codices, ob Registra & veteres Catalogos cum primariis scripturis in alienis adhuc Grammatophylaciis detentos ignorantiam meam saepe fatebor, ubi majorem lucem jure fors exspectassent, qui ista haec mea legent. *Informationem historicam* per ordinatam Praepositorum seriem promitto, non *plenam Collegii Wengensis Historiam*, opus nunquam futurum, ac conatibus meis majus. Sed nec Annales scribo, ac illa prorsus negligo, quae Canoniam



nostram wengensem non propius tangunt. A Polemica motuum Religionis in civitate nostra calamum contineo, & pauca prorsus summa cum moderatione refero, Tribus Periodis hanc informationem historicam complectar. Prima sistet Præpositos in Monte ac in Insulis usque ad demolitionem Monasterii. Altera exhibebit Wengenses Prælatos in civitate usque ad mutatæ in Ulma Religionis tempora. Tertia denique proponet reliquos Antistites ac Abbates Insulatos, usque ad hanc, qua vivimus, ætatem. Neminem ex Antecessoribus nostris Canonicis scio, qui historiam Collegii Wengensis conscribere tentarit, si solum Reverendissimum Præsulem D. Joannem Mann sive Mannum excipiam, qui in suo, quod conscripsit, ac Posteris pretiosi instar Thesauri reliquit, Charulario & Præpositorum seriem, & Acta illorum in Compendio recensuit, ac quædam alia adnotavit, a quibus præteritorum temporum spississimas tenebras, velut orto noviter diluculo dissipavit. Joannem proin hunc volo intelligi, quoties *Historiographi Wengensis* aut *Reverendissimi Scriptoris ac Domestici* Autoritate me usum fuisse profitebor.

Priusquam ad historicæ hujus Informationis Periodum primam promoveamus gradum, præmittenda sunt ad meliorem subsequendum intelligentiam quædam

---

## PRÆLIMINARIA.

### S. I.

#### De Wittigogo Comite de Albek Fundatore Wengensis Canonice.

**A**ntiquissima & a plurimis Sæculis fumosis ceris inclyta fuit Illustrissimorum Comitum Albeckiorum Prosapia, cujus originem ac Progenitores si quis investigare velit, laborem in se suscipiet nulla scriptoris ætate terminandum. Albeck sive Albegeg Castrum, quod in lingua nostra vernacula *terminus vel angulus, frons, cornu Alpium* dicitur, horum Comitum gentilitia sedes erat ex parte Aquilonari Anhusiam inter & Ulmam situm, trium fere horarum itinere ab Imperiali hac civitate distans ædificatum fuisse creditur ad accessendos prædones, toti Ulmensi Viciniæ olim molestissimos ac ex solis rapinis vivere suos. Destructum illud modo est, in ipsis tamen reliquiis ac ruinis nondum vetustatis aspectus evanuit, sed antiquæ suæ famæ, ac fortitudinis adhuc quandam sepulchralem imaginem refert. Adsitum habet parvum quoddam oppidum ejusdem Nominis, quod nunc Ulmensium Jurisdictioni paret. Albeckensi agro ab antiquissimis temporibus Comitatus Dignitas adhæsit, teste Lazio, qui inter Sueviæ Rhaticæ Comitatus Albeckensem numerat. Hujus Possessores plurimorum oppidorum, Vicorum, Castrorum Domini erant, qui per territorium satis amplum ita sua dilatarunt Phylacteria, ut potentissimis ac ditissimis Nobilitatis Suevicæ Regulis accenseri Jure potuerint. Jam anno 933. Comitum Albeckiorum nomen occurrit inter Duces, qui Archi-Episcopi Colonienfis copiis Imperatori Henrico I. in subsidium missis præerant, quorum, ut videre est in *Friedericij Lucæ S. R. I. Antiquissimorum Comitum Aulapag.* 836. sequentia erant Nomina

Eberhard Graffe von Ravensperg.

Dietrich Graffe von Widgenstein.

Hanf Graffe von Dieft.

Hanf Graffe von Blunkenburg.

Fri-



Fridrich Graffe von Lone.

Paul Graffe von Hornen.

N. Graffe von Albeckh,

**E**x antiquissimorum horum Comitum sanguine ortus est Illustrissimus ac piissimus Fundator Wengensis Cœnobii, cujus nomen varie scribitur, Wittegogus, Wittigo, Wittigovæus, Wittigow, Wittigaus, amplissimarum possessionum Dominus, prole tamen mascula carens. Animam a Deo nactus est boni, æqui, justique tenacem, pauperum præcipue, Personarum Ecclesiasticarum, ac virorum Religiosorum amantem, quibuscum non tantum crebro, ac libenter conversabatur, sed etiam de iis per cœtera beneficia optime mereri studuit, ut continuos haberet apud Deum pro se deprecatores. Magnis donationibus adhuc junior dotavit Monasterium Elchingense, gentilitiæ suæ arci vicinum, teste Lazio de Migratione LVIII. benefecit etiam Imperiali Canonice Wettenhusanæ tempore Wartwini Præpositi. Leguntur enim in Homeliario Wettenhusano hæc formalia: Wittigogus de Albecke, dimidium mansum in Gerbach pro salute animæ suæ contradidit. Coëmerat ante complures annos a quodam Ministeriali seu nobili Feudatario Monasterii divitis Augiæ S. Michaelis motem Ulmæ vicinum, sitamque in illo domum cum parva Ecclesia divo Michaeli Archangel. Sacra cum omnibus appertinentiis ac Juribus, hac quidem intentione, ut perceptis inde fructibus pauperibus succurreret, illud perpetuo animo volvens: *Date Eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Ex Religiosorum virorum suavis decessit tandem hanc domum vertere in *Domum charitatis*, ac mutare in Monasterium, quod hospitalitate sua refocillationi, pauperum ac peregrinis asylo esset, atque ob hunc finem, aliquot in illo ponere Canonicos, quibus a Regula S. Augustini Nomen. Conjugem Wittigogus habuit Comitissam de Helffenstein, & ut habet vetus scheda, Vilsæ ac Prenzæ Vallis Dominam. Incertum mihi est, quonam ex Patre sit genita; si tamen ex circumstantiis temporum prudenti conjecturæ locus sit, Patrem habuisse omnino Ludovicum Helffensteinium, qui an. 1187. Adelbergensi Monasterii Ordinis Præmonstratensis fundationi aderat & testis, subscripsit. Hic Friderici Barbarossæ Asiam ingentibus Victoriis ac terribili Germanicæ fortitudinis fama impletis, Castra secutus vidit S. Georgium Christianis armis oppitulantem, cum Fridericus tantum sexcentis cum equitibus quadraginta millia barbarorum in fugam verteret, Videantur Sulgeri Annales Zwifaltenses ad annum 1190.

Bertha, cognito Wittigogi Consilio, non libenter tantum consensit, sed piis insuper hortatibus Conjugem permovit, ut tandem conceptum animi sui decretum executioni daret. Quousque vitæ suæ annos perduxerit piissimus Fundator, definire non ausim; certum est illum adhuc vixisse anno 1189. hoc enim anno adhuc in comitatu Friderici Barbarossæ filii fuit, ac subscripsit Diplomati, quo prædictus Sueviæ Dux confirmavit fundationem præfati Adelbeckensis Cœnobii, quæ acta sunt in Lorch sive Laureacensi Cœnobia anno citato anno 1215. Sibotto frater Wittigogi jam Advocati wengensis prærogativa fuit potitus, evidens ergo est, Fundatorem nostrum hunc annum vivendo non attigisse. Quem diem extremum piētissimæ Fundatrici fata destinarent, ignoramus pariter. Ex cit. loc. discimus, ambos quietem ac tumulum honorificentissimum habuisse in Ecclesia nostri Monasterii adhuc sitis in monte. Extat utriusque effigies in picto Wengensium Præpositorum Cathalogo, Illisque a recentiori manu subscripti sunt sequentes versiculi:

Wittigovæam hac spectas in imagine formam,  
 Hic Berthæ effigiem Cernua Wenga cole.  
 Te tantis poteras, gaudere Parentibus ortam  
 His grates debes thuraque ferre Deo.  
 Berthas quot similes, dic, tempora nostra tulere!  
 Quot facti Comites nunc habet iste Comes?  
 Nullos aut paucos; hinc Nobis quæstio magna  
 Orta est, num pietas, deseritve fides.

Wittigogo duo adhuc fratres erant Peringerus, ac Sibotto, ambo magnanimi Heroes & heroicæ pietatis, nec inferiores virtute, Peringerus improlis aut cælebs vixit; Sibottonis filius erat ejusdem cum Fundatore nostro nominis, cui uxor

Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera.

E e e e

Lui-



Luiburgis. Hic genitore suo defuncto Advocatus Canonice Wengensis tertius & ultimus: cum illo enim exspiravit Albeckiorum Comitum familia nullo amplius superstite hærede masculino, munificentia sua ac beneficia liberalitate æterna Posterorum nostrorum gratitudine dignus cum Sibottone, ac Peringero in Ecclesia nostra Wengensi ad Insulas corporis sui exuvias terræ honorifico sepulchro illatas tradidit, animam vero suam cælo transmisit circa sæculi tertii decimi tertii finem anno nobis incognito.

## §. II.

## Annus Foundationis, Illiusque litteræ.

Ut, quod animo conceperat, opere completeret Wittigogus, ante omnia opus erat Reverendissimi Abbatis Monasterii eo tempore famosissimi Augiæ divitis Ordinis S. Benedicti consensu, de cuius Territorio fuit mons Ulmæ vicinus, quem pro novo construendo Monasterio piissimus Comes destinaverat. Diethelmus ea ætate Asceterii Augiensis pedum rexerat, ex liberorum Baronum de Weiffenberg, Dominorum in Krenckingen profapia oriundus, ex monacho Augiensi ab ipsomet Friderico Imperatore constitutus, etsi ætatis fuerit non admodum provecctæ, prudentiæ tamen, & magnæ Eruditionis laude floruit Pontifici Romano, Cæsari, Regibus, Principibusque Imperii ob eximias virtutes charissimus. Optimum Præsulem facile in sua flexit vota, præsertim cum occasio satis opportuna se se offerret futuræ foundationis, proque illa obtinendi Imperatoricæ Confirmationis robur. Fridericus I. Imperator Augustus, cognomento Barbarossa sive a aheno barbuis una cum filio Henrico anno post Christi natum millesimo centesimo octogesimo tertio solennissima in urbe Constantiensi ad Lacum acronianum sita, celebrabat Comitiam, quibuscum incredibili universi Imperii lætitia, pax generalis conclusa tandem est, a loco, in quo sancita fuit, dicta *Constantiensis* a Baldo principis fama Jurisconsulto publicis litteris & commentariis illustrata. Conclufa pace Fridericus Imperator multis Principibus stipatus venit eo ipso anno Ulmam comitatus etiam ab ipsomet Diethelmo. Hic ad preces ac instantiam Wittigogi foundationis negotium adeo coram Augustissimo Cæsare maturabat, ut cum illius clementissimo consensu sub ejusdem gloriosissimis auspiciis ac in illius tanquam supremi Ecclesiæ Protectoris conspectu, ac in præsentia serenissimi Principis ac Austriæ Ducis Lupoldi, Rudolphi Palatini Tubingensis, Mangoldi Comitis Veringensis, Eberhardi ejusdem filii, Bernardi Comitis de Hohenberg, Conradi a Schuffenriet, Diemonis a Gundelfingen, ac Ernesti a Stuslingen aliorumque plurimorum testium Wittigovea fundatio solennissime prope Ulmam in castris Cæsaris Deo propitio, ac de cælo benedicente, in Cathedra Petri sedente Lucio III. Romano Pontifice anno MCLXXXIII. peracta sit. Expediæ sunt ab ipsomet Abbate Diethelmo litteræ publicæ hujus Solennitatis testes, quarum originalis scriptura in Ulmensis civitatis Archivio custoditur, Damas hic illas ex authentica copia, qualesque apud Bruschium, Crusium, Magerum, & Franciscum Petrum, aliosque publicos Scriptores occurrunt.

In Christi Nomine, Amen. Nos Henricus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Constantiensis, notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, ad quos præsentis litteræ pervenerint, quod sub anno Domini 1357. feria tertia ante Festum S. Michaelis proxima pro parte Religiosorum in Christo Præpositi & Capituli Canonorum Regularium Monasterii ac Præposituræ in Insulis prope Ulmam nostræ Constantiensis Diæceseos, cum reverentiâ (qua decuit) litteræ infra scriptæ nobis præsentatæ fuerint, & petitum, ut visis & perlectis eisdem litteris cum sigillis earum authenticis litteras easdem cum sigillorum descriptionibus exemplari & describi mandavimus, ipsarum totum tenorem cum ipsarum sigillis eisdem litteris impendentibus auctoritate ordinaria approbando, & authentizando (ut pro nunc & etiam in posterum, sicut & ipsa Originalia in judiciis & extra, fidei facere possent) confirmare dignaremur.

Nos vero attendentes, quod summa ratio est, quæ pro Religione facit, & quia dicta instrumenta integra & illæsa invenimus: idcirco ea exemplari, & ipsarum totum tenorem cum sigillis earum authenticis describi mandavimus, approbavimus, & confirmavimus ac etiam præsentibus confirmamus, & approbamus de-

cer-



pernentes ut dicta exemplaria eandem fidem, quam & ipsa Originalia in Judiciis & extra perpetuo sortiantur, Tenor autem dictorum Instrumentorum sive litterarum est talis,

**I**n Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Cum ex verbis ipsius Domini discamus: date eleemosynam & omnia munda sunt vobis) notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod nobilis quidam Wittigowe de Albecke pro salute & remedio animæ suæ & omnium Parentum suorum a quodam Ministeriali Augensis Ecclesiæ (pretio interveniente) obtinuit montem & domum S. Michaelis apud Ulmam situm cum omnibus appenditijs suis, quem usque ad hæc tempora jure proprietatis possedit, ut in usus augendis Ecclesiæ conferret, & omne Jus, ac proprietatem & possessionem in Ecclesiam transferret, Ex consilio autem Religiosorum illius temporis virorum instituit, ut prædictus locus Domus-Hospitalis Pauperum refocillatio & asyllum Peregrinorum in æternum permaneat. Eidem Domui Præpositum cum alijs Canonicis sub S. Augustini regula devoti degentibus præficiendum ordinavit, Ut autem peregrinantes in eodem loco (quia, propter ipsos præcipue est fundatus) honestam consolationem de communi alimonia Fratrum assidue inveniunt, Præpositus ejusdem loci Personas ad servendum Deo congruas recipiat, & in recipiendo illas modum non excedat, ne pauperum consolatio decrescat. Fratres in præfato loco Præpositum sibi libere eligant, & electum suo Domino Abbati Augensi pro investitura ab Ipso suscipienda quantocius (ne locus desoleatur) repræsentent. Si vero (quod Deus avertat) in dicta electione partes fuerint; Abbas Augensis consilio advocati Domus illius charitatis a parte saniori electum investiat. Sin autem Fratres sine rationabili causa electionem distulerint. Abbas Augensis consensu advocati (ne domus pauperum destituatur) citatis fratribus, ubi advocatus fuerit præsens, causam dilationis diligenter inquiret, & ad eligendum Præpositum in Deo persuadeat. Sin autem injuste renuerint, Abbas cum advocato, de regula S. Augustini honestam personam ipsis præficiat, Notum sit etiam omnibus, quod Wittigowe fundator, ipsius loci pro defensione absque omni exactione, jure Domini ab Abbate Augensi suscepit Advocatiam, & eadem advocatia ut ad omnem suam posteritatem scilicet ad seniores Masculorum transeat, instituit. Item dictus loci fundator omnibus suis hominibus pro remedio animæ suæ res suas tam mobiles quam immobiles ad montem Michaelis conferendi libertatem ordinavit. Similiter dictæ domus Author pro honestate & utilitate loci ab ipso loco, & ab omnibus pertinentibus ad ipsam congregationem mulieres omnimodo removere firmiter instituit, videlicet ne secundum consuetudinem aliorum cœnobiolorum sorores in consortium fratrum assumantur. Ego Diethelmus Abbas Augensis consensu Fratrum meorum, & Ministerialium communicato Consilio, ut hæc Ordinationis Wittigowei constitutio, quam honestam & rationabilem, & intuitu Dei inceptam vidimus, firmum apud nos & Successores nostros suæ perfectionis tenorem obtineat, & Domus B. Michaelis de immutabili donatione gaudeat: placuit nobis præfatas traditiones sigillo Ecclesiæ nostræ communire. Concedimus etiam, ut liceat omni familiæ Augensis Domus Servorum & Ministerialium facere commercium vobiscum rerum suarum mobilium per donationem, commutationem, & venditionem. Hujus rei testes sunt Rutpolt Dux Austriæ Rudolph Palatinus de Tübingen, Mangoldus Comes de Veringen, & filius suus Eberhardus. Burcardus Comes de Hohenberg, Conradus de Schuffenriedt, Diemo de Gundelfingen, Ernest de Stuzelingen & alii quam plures. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Centesimo Octogesimo tertio Indictione secunda regnante Friderico Imperatore Romanorum Invictissimo & semper Augusto in ipsius conspectu apud Ulmam. Characteres autem Sigilli supra scripti instrumenti hoc sonant: Sancta Maria Dei Genitrix &c, ipsumque sigillum rotundum & in medio Sigilli effigies sive Imago S. Mariæ est desculpta, & filum de sericis gilvis & rubeis est ipsi instrumento appensum. Datum & actum Constantiæ anno Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo quarto Calendas Octobris Indictione decima.



## §. III.

Benefactores antiquiores, ac Anniversaria Exemptæ Canonizæ  
Wengensis.

**R**euerendissimus noster Historiographus Joannes Præpositus, Nomina Benefactorum nostrorum, ex quorum liberali pietate & pia liberalitate profecimus, & res parvæ nostræ creverunt, in tres Classes distribuit. In prima Nomina illorum recenset, qui tempore foundationis nobis benefecerunt, in secunda classe Catalogum illorum refert, qui tempore reformatæ disciplinæ, ac tandem in classe tertia qui post hanc morum reformationem benefactis suis ad perpetuam gratitudinem Wengam obstrinxerunt. Prima classis sic habet.

WITTIGOGUS Nobilis ac generosus Comes de Albeckhe. Fundator nostri Monasterii in Monte S. Michaelis prope Ulmam anno 1183.

SIBOTTO Comes de Albecke frater nostri Fundatoris.

WITTIGAUS filius dicti Sibottonis.

BERINGERUS Comes de Albecke frater Fundatoris.

DYETRICUS Miles.

ALBERTUS Comes de Tillingen.

RUDOLPHUS Comes de Wertenberg in Albecke. 1343.

WITTIGOGUS advocatus noster. NB. idem est cum Wittigogo Sibottonis filio.

HEINRICUS Marchio de Burgow probissimus.

PHILIPPA Comitissa de Seveling.

LIEBURGIS advocatissa nostra, fors uxor Wittigogi Sibottonis filii.

ADELHAIDIS Comitissa de Kirchberg.

GISELA soror Lotarii (fors Notarii) *Regis aut Regii.*

EBERHARDUS Nobilis de Erigsteine.

CONRADUS Comes de Werdenberg Filii Henrici Comitis de Wertenberg apud nos sepulti, qui vendidit comitatum de Albecke.

LIUDGARDIS de Arnegke.

HEINRICUS Comes de Wertenberg.

PHILIPPUS Rex Romanorum.

OTTO Dux.

IMMAGYNA Comitissa relicta Henrici Comitis de Werdenberg.

ULRICUS Comes Junior de Werdenberg (perperam illum vocat Bruschi-  
us de Wurtenberg) obiit anno 1335.

ADELHAIDIS Marchionissa de Burgow.

LIENMUGUS miles.

GOTFRIDUS miles.

ADELHAIDIS de Helfenstein.

ADOLPHUS, vel ADELPHOTUS Officiatus de Horningen.

STEPHANUS de Holzkirch, qui dedit Monasterio nostro omnia prædia in Holzkirch.

FRIDRICH de Holzkirch, apud nos ambo sepulti in Ecclesia,

RUDOLPHUS de Klingenstein.

GERWICHTUS miles de Stozingen.

quo beneficii genere hi omnes cælo segratos præstiterint, ac æternam gratitudinis memoriam a nobis promeriti sint, nullibi assignatum reperio. Reliquas duas classes, ne Lectoribus fastidium moveam, præterire silentio lubet, cum præsertim illorum specialem memoriam per decursum Informationis hujus facturum sim, ac suppleri videantur ex sequenti Anniversariorum Catalogo, quæ per annos singulos celebrare solemus perpetuæ obligationis vinculo ad hoc adstricti.



## Ordo Anniversariorum ac perpetuarum Missarum Exemptæ Canonie Wengensis.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1. <b>M</b>issa I. Dominæ Perthæ Comitissæ de Kirchberg uxoris Com. Henrici de Werdenberg, quæ obiit anno 1327. Ambo apud nos sepulti in Infulis.</p> <p>2. Missa I. Stephani militis de Holzkirch circa annum 1398.</p> <p>3. Missa I. pro anniversariis dubiis.</p> <p>4. Missa Catharinæ de Plochingen. 1402.</p> <p>5. Missa Gerwichti militis de Stozingen.</p> <p>6. Missa II. Stephani de Holzkirch.</p> <p>7. Missa II. pro anniversariis dubiis.</p> <p>8. Missa I. Nobilis D. Conradi Presb. &amp; Rectoris in Pernstatt.</p> <p>9. Missa III. Stephani de Holzkirch.</p> <p>11. Missa I. Margaritæ Menterin uxoris D. Joannis Menter Præfecti in Domo urspingana, &amp; Matris adm. Rev. Nob. D. Joannis Menter &amp;c. obiit 1948. 12. Aug.</p> <p>12. Missa II. Margaritæ Menterin.</p> <p>13. Missa II. D. Berthæ Comit. de Kirchberg.</p> <p>14. Missa III. pro anniversariis dubiis.</p> <p>15. Missa IV. Stephani de Holzkirch.</p> <p>16. Missa I. Joannis Kurz.</p> <p>17. Missa I. Diemedis Linferin.</p> <p>18. Missa IV. pro anniversariis dubiis.</p> <p>19. Missa V. Stephani de Holzkirch.</p> <p>20. Missa I. Friderici Nüber.</p> <p>21. Missa V. pro anniversariis dubiis.</p> <p>22. Missa III. Margaritæ Menterin.</p> | <p>23. Missa IV. Margaritæ Menterin.</p> <p>24. Missa VI. Stephani de Holzkirch.</p> <p>25. Missa VI. pro anniversariis dubiis.</p> <p>36. Missa III. D. Berthæ Comit. de Kirchberg.</p> <p>27. Missa II. Joannis Rauch.</p> <p>28. Missa VII. Stephani de Holzkirch.</p> <p>29. Missa VII. pro anniversariis dubiis.</p> <p>30. Missa II. Gerwichti de Stozingen.</p> <p>31. Missa II. Conradi Rectoris in Bernstatt.</p> <p>32. Missa VIII. Stephani de Holzkirch.</p> <p>33. Missa VIII. pro anniversariis dubiis.</p> <p>34. Missa III. Joannis Rauch.</p> <p>35. Missa II. Joannis Kurz.</p> <p>36. Missa IX. Stephani de Holzkirch.</p> <p>37. Missa IX. pro anniversariis dubiis.</p> <p>38. Missa IV. Dominæ Berthæ Comitissæ.</p> <p>39. Missa V. Margaritæ Menterin.</p> <p>40. Missa VI. Margaritæ Menterin.</p> <p>41. Missa X. Stephani de Holzkirch.</p> <p>42. Missa X. pro anniversariis dubiis.</p> <p>43. Missa II. Diemedis Linferin.</p> <p>44. Missa II. Friderici Nüber.</p> <p>45. Missa XI. Stephani de Holzkirch.</p> <p>46. Missa XI. pro anniversariis dubiis.</p> <p>47. Missa Rudolphi de Klingenstein.</p> <p>48. Missa IV. Joannis Rauch.</p> <p>49. Missa VII. Margaritæ Menterin.</p> <p>50. Missa VIII. Margaritæ Menterin.</p> <p>51. Missa XII. Stephani de Holzkirch.</p> <p>52. Missa XII. pro anniversariis dubiis.</p> |
|---|--|

Singulis quatuor diebus per annum applicatur ex consuetudine antiqua ( nisi alia obligatio interveniat ) Missa Conventualis pro universa Ecclesia, hujus loci Canonicis Fundatoribus & Benefactoribus vivis & defunctis.

Singulis Septimanis legitur una Missa in altari privilegiato pro Admodum Reverendo Nobili D. Joanne Menter Canonico novi Monasterii Herbipoli, & Cive Ulmensi ejusque Parentibus & Consanguineis fundata vi testamenti 1757. obiit 2. Junij.

Singulis item Septimanis legitur die Sabbathi Missa B. V. M. in ejusdem altari pro Perillustri Familia Lib. Baronum ab Ulm, fundata anno 1663. a Perillustri ac Generoso DD. Luidfrido Lib. Baronum ab Ulm in Erbach.

Legitur item hebdomodatim una ex supra notatis 52. Missis, ordine a D. Decano præfixo, quibus insertæ sunt Missæ 8. Margaritæ Menterin, in privilegiato altari legendæ, quæ vi testamenti sunt fundatæ 1648.

Singulis quatuor temporibus cantatur Missa de Requiem pro dicto D. Joanne Menter, ejusque Familia vi foundationis 1657. factæ.

Circa idem tempus dantur 2. Missæ privatæ una de B. V. altera de Requiem pro A. R. D. Antonio Opfer olim Decano in Erbach, & Breifach, qui obiit 30. Junij 1678. ejusque Parentibus & Consanguineis fundatio facta est 1661.

In eadem Angaria fundavit 2. Missas de Requiem pro se & familia A. R. D. Christianus Schmucker Decanus & Parochus Ehingæ ad danubium: obiit 21. Maij 1685. fundatio facta est per donationem inter vivos.

Anniversarium Fundatoris nostri Illust. ac Generos. DD. Wittigovi Comitissæ de Albeck, ejusque Conjugis, Parentum & Consang. celebratur infra Octav. S. Michaelis Archangeli cum Vigiliis integris & Missa de Requiem & omnes Sacerdotes eo die pro iis sacrificabunt.

Tom, V. Cann. Regg. Orig. Pars altera.

F F F F

Fest.



Festive & solenniter celebrabit Præpositus anniversarium Antecessoris sui circa Festum S. Michaelis & omnium Præpositorum cum Vigil. integris & Officio de Requiem, omnes Sacerdotes tenentur pro iis sacrificare. Eodem modo ac ritu circa Festum S. Augustini fiet anniversarium ultimo defuncti Canonici, & omnium in obedientia defunctorum Confratrum,

Anniversarium Perillustr. ac Generos. DD. Friderici Adami a Stein, circa Festum Purificationis B. V. pro se, ejusque Coniuge D. Maria Magdalena Theresia Ungelterin a Teuffenhausen & Humblangen & utriusque Familia. Quisque Sacerdos tenetur pro iis sacrificare. Officium fit de die, cum obligatio tantum sit de Missis privatis Fund. ex testamento.

Eodem ritu habetur Anniversarium Prænobilis D. Joannis Wilhelmi Roth de & in Reüthi, pro se & familia, obiit in Domino 1. Aprilis 1684.

Anniversarium Prænobilis D. Dietrici Wilhelmi Ungelter a Teuffenhausen & Humblangen circa medium Maij quo tempore anno 1671. obiit & cantatur Missa Conventualis de Requiem.

Anniversarium Margaritæ Reiserin & Mariæ Rauchschnablerin sororum Civium Ulmensium earumque consanguineorum celebratur Mense Julio circa Festum S. Margaritæ cum Vig. unius Nocturni & duobus Officiis, uno de SS. Trinitate, altero de Requiem cantatis, & obligantur omnes pro iis satisfacere. Fundatio facta est anno 1607.

Singulis quatuor temporibus fundavit 12. Aprilis anno 1692. Prænobilis D. Joannes Casparus Roth de & in Reithi V. Missas pro se & tota familia. Circa diem V. Mensis Junij fit Anniversarium pro D. Balthasar Popp, & Walburgæ Honoldin uxore, civibus Ehinganis, & eorum Consang. lineæ rectæ per IV. Sacra, post unum Illorum fit incensatio ad feretrum ardentibus juxta 4. Candelis fundatio facta est 21. Julii 1692.

Circa Dominicam Lætarelegantur IV. Sacra pro defunctis, prout erant in mente Fundatoris. Fundatio facta est 19. Martij 1700.

Pro sua in SS. Eucuaristiam devotione ordinavit Prænob. D. Joann. Bernardus Seiz J. U. L. Præfectus Salem, Ulmens. indies in Missa Convent: si fiat Choraliter, sub elevatione cantari: *Ave verum*: in Missa pro defunct. *Pie Jesu Domine*: fundatio facta est anno 1708.

Anniversarium prænobilis D. Bernardini Pihlmaier primi Imper. Postæ Ulmens. Directoris & Coniugis suæ M. Catharinæ Verdunckin pie demortuæ 9. August. 1708. fit eo modo, quo Marg. Reiserin circa 14. Febr. fundatio ex testamento, anno quo obiit 1709.

Anno Domini 1742. fundavit Mauritius Ducre Subaud. pro se Anniversarium circa Festum S. Nicolai cum Ministris cantatum: tenentur eo die omnes Sacerdotes alia obligatione non impediti sacrificare.

Circa idem Festum tenetur quilibet Sacerdos legere Sacrum ad intentionem Fundatricis Prænobilis D. Mariæ Theresiæ Picklin, ab Erathsberg nata Erathin.

Circa diem V. August. habeatur Anniversarium trium Missarum pro D. Andrea Rueff Parocho resignato in Aichach 1. in honorem SS. Trinitatis. 2. B. V. M. 3. pro defunctis.

Circa diem 13. Aug. dentur octo Sacra pro Christina Nidermayerin, & ejus agnatis defunctis.

Singulis quatuor temporibus fiant duo Sacra pro defunctis ex Prænob. Familia Seiziana fundatio facta est anno 1734. a Clariss. hæredibus Prænob. D. Joannis Bernardi Seitz, piissimæ matris hortatu.

Anniversarium M. Franciscæ Gaiserin. Legantur singulis Angariis duo Sacra de Requiem. Ad intentionem Fundatricis. Fundatio facta est 1739.

Anniversarium Haimbianum. Legatur singulis mensibus unum Sacrum pro anima Fundatricis, & familia Haimbiana. Obligatio primo impleri cœpta est ab anno 1741. post obtentum Augustæ legatum.

Circa 15. Febr. celebratur Anniversarium Prænob. D. M. Theresiæ Picklin ab Erathsberg pro se & tota familia. Fit Officium cum Ministris: ardentibus ad altare & tumbam 4. cereis; tenentur omnes pro ea sacrificare fundatio facta est 1744.



## §. IV.

## Succincta Celeberrimi Monasterii Augiæ Divitis Notitiâ.

Quisquis attentiori oculo hanc de Wengensi Canonica Informationem historicam perlegere dignabitur, in eam mox sententiam deveniet Illam ceu candidam Augustini Filiam nigram eamque formosam habuisse Matrem, nempe Augiam divitem, celeberrimum quondam Ordinis Divi Benedicti Asceterium, ex cuius veluti utero in fundationis suæ, primordiis prodiit, atque sub materna illius curâ potestate ac regimine per tria fere sæcula educata fuit, usque dum emancipata suam adeptâ est libertatem. Matrem hanc itaque nosse prius oportet, quisquis exactiorem Filiaë noticiam habere desiderat, secus hærebit semper animo dubium, qui factum fuerit, ut parere debuerit alterius Ordinis Abbatibus tanquam Ordinaris, Augiæ scilicet Divitis, quorum statim in Fundationis litteris facta est mentio.

Fuit ergo Augia Dives olim longe potentissimum, ac vere Augustum Superioris Germaniæ Monasterium, vulgo die Reichenow, cui ab ipsis opibus, & potentia hoc nomen fluxit. Si Nauclero credendum quondam Sindlesana dicta fuit, a Gallico Præfecto Sindlesio, qui Insulam sancto Pirminio, in qua collocatum postea fuit hoc Asceterium, excolendam incolendamque commisit. Distat hæc Insula ab urbe Constantiensi, per spatium dimidii milliariis, in longitudine habet milliare dimidium: fertilis est glebæ. Vineta continet egregia, omnisque generis fructus profert in summa copia. In fertilissimo hoc solo teste Casparo Prechio fundavit & construxit ad annum Christi circiter 724. præfatus Sanctus Pirminius Episcopus Meldensis ope ac subsidiis Caroli Martelli (qui Caroli Magni avus erat) præclarum hoc ac nobilissimum Augiense Monasterium Benedictinæ Professionis: quo longo sæculorum decursu solis fere Principibus Personis e mundi fluctibus ceu ad portum Salutis licuit appellere; quod quidem tanto concursu est factum, ut nemini omnino successu temporis, nisi solis Illustrissimis ac Illustribus Comitibus ac Baronibus tanquam schola virtutis & eruditionis patuerit a Romanis Pontificibus, a Cæsaribus & Regibus amplissima concessa fuere Privilegia; quinimo huic Abbatiaë, per se jam opulentissimæ, donarunt Pipinus, & Carolus Magnus villam suam regalem civitatem Ulmensem cum omnibus ad eam pertinentibus, decimis Juribus, libertatibus, ac possessionibus, sequenti, ut scriptores magni Nominis prætendunt, Diplomate.

## Præceptum Karoli de Advocatia Ulmæ.

IN Nomine Sancte Individue Trinitatis. Karolus divina favente Clementia Imperator Augustus. Si Sanctorum Monasteriorum loca, ne labantur, frequenter sustentamus & sustentando ditamus non solum Deum per hoc nobis placamus, sed etiam nostri totius regni statum Corroboramus. Qua propter omnium presentium ac futurorum comperiat industria, qualiter Ulmam nostram regalem Villam pro anime nostre ac parentum nostrorum remedio ad Monasterium quod Constructum est in Insula que in Allemannice partibus sita sint Lezzesowa nancupatur ubi Venerabilis Presul herito Spirituali turme preest, cum omnibus appendiciis suis & locis adiacentibus tradimus atque transfundimus, ut Fratres ibidem regulariter subsistentes & divino Operi die nocteque jugiter insudantes dum a nostris sumptibus alacriter procurantur assiduis eorum precibus deum nobis propiciam facere dignentur. Ut autem predictus herito cum Fratribus suis monachis videlicet atque Clericis in præfata Insula ab Exterioribus curis remotus dei servicio liberius atque securius insistere valeat cum ipsius Abbatis desiderio suorumque monachorum rogatu Adalbertum Cognatum nostrum in supra dicta Ulma Advocatum ac defensorem constituimus & eundem quia quales futuri sint homines ignoramus ne statuta nostra vel quisquam suorum successorum transgrediatur in presenti cum Juramento tenaciter obligamus hac de causa nostre placuit providentie eodem Adalberto defuncto in præfati Abbatis suorumque Successorum ac Fratrum scilicet monachorum hoc perpetualiter ponere potestate, ut sapientum usi Consiliis ex eis quos inter potentes noverint & invenerint esse meliores seculi & equitatis amantiore eligant huic loco sicut & in ceteris locis suis competenter Advocatos & Defensores. Eo tamen tenore ut quancumque sui commissi prævaricator aut in rebus vel hominibus quod vulgo Balmundt dicitur existat, statim sine mora & sine

F f f f a

Judi-



Judicio advocatiam perdat. Qui Advocatus & omnes sui Successores quale servitium in præfata Villa ab Augensi Abbate ejusque ministris deinceps recepturi vel qualem justiciam ipsi Abbatibus sint facturi breviter hic determinamus. Statuimus ergo ac præcipimus si presens A. Advocatus vel quisquam suorum successorum, in prædicta Villa placitare voluerit, quando vel qualiter aut quociens hoc fiat in Abbatis arbitrio pendeat, & ab eo disponatur, ut non cum pluribus quam XXX. equis ad placitandum veniat & tale servitium quale tunc reperitur & quod prædicto militum & equorum multitudini congruat ac sufficiat eidem Advocato prelibatus Abbas per suum Ministrum decenter & honeste exhibeat. Et ut hoc nunc & in futuro cunctis pateat regali nostro Imperio sancimus & Confirmamus ut nullus Advocatus in præfata villa majus Servitium ab Augensi Abbate vel a suis ministris quasi ex debito exigat, aut ad libitum sibi statuatur aut augeatur sive quasi ex Jure ultra statutum quicquam usurpare sibi vel vindicare audeat. Insuper statuimus atque jubemus quicquid placitando ibidem acquirat tertia parte sibi retenta duas abbati reddat. Et nullum Advocatum vel Exactorem præter se sine Abbatis permissione sibi Constituat. Addimus quod nil privati muneris vel servitii in eadem Villa vel a quolibet locorum illuc pertinentium sive a Cellerarijs quasi ex debito & statuto sibi Jure exigat ac mansiones vel per noctationes usquam frequentare audeat. Quod si presens A vel quisquam suorum successorum hec nostra statuta transgrediatur sine Judicio & absque spe recuperationis jubemus ut advocata statim privetur & alter fidelior & Justitie amantior sano Consilio in ejus locum subrogetur. Et ut hoc scriptum nostrum atque decretum ab omnibus firmiter observetur & obnixius, annuli nostri signo sigillique impressione confirmari Jussimus

(L.S.)

R  
 Signum K- $\frac{A}{V}$ -S domni Karoli Serenissimi  
 Impera L toris Augusti.

Ego Ernestus Cancellarius ad vicem Lubberti Archicappellani scripsi. Et est data anno Dominice Incarnationis DCCCXVI. anno Regni piissimi Karoli Imperatoris Augusti XLVI. Imperii vero XIII. Actum Maguncie in Concilio magno coram multis principibus tam Spiritualibus quam Secularibus in Dei nomine feliciter Amen.

Inter eruditos non levis est Controversia, an Diploma hoc iis affectum sit notis Characteristicis quæ authenticum illud esse demonstrent. *Pro spurio*, inquit, & politicæ Lindaviensis, & litterariæ Reipublicæ Ornamentum D. J. R. Wegelinus in pretioso suo thesauro rerum suevicarum Tomo 2. suple. p. XV. *Diploma Carolinum habet*. H. Conrinus in cens. diplo. Lindav. pag. 306. W. E. Tenzelius in Vindicijs append. III. p. 72. & seq. Ch. Franc. Paulini in exercit. de Advocatis monast. §. 8. p. 540. in Syntag. rerum & antiq. Germa. de Ludewig. de bellis diplomaticis in Præfat. Tom. I. relig. M. S. C. omnis ævi diplom. Anno 1755. hoc ipsum argumentum insigni cum eruditione versabat vir inter Litteratos Ulmenses doctissimus D. Ludovicus Albertus Hæckelius in sua dissertatione: *de diplomate suppositio quo Ulmam Villam regalem a Carolo M. anno 813. Cœnobio Augiensi donatam assertum fuit*. Jenæ anno citato. Quam laudatus supra Wegelinus Suevicarum rerum Thesauri Vol. IV. p. 111. totam inseruit. Quidquid autem sit, meum non est, hanc controversiam decidere. Etiam in bellis diplomaticis nonnunquam advertimus falsa probaliora esse Veris. Hoc certum esse puto, opinionem hujus factæ donationis ab immemoriali tempore ita infidisse hominum animis, ut illam ceu verissimam Comentariis suis inseruerint. Pariter negandum non est Ulmam nostram multis sæculis Augiensis Cœnobia potestatem, ac jugum tolerasse salva licet semper in & ab ævo Carolino temporibusque subsequentibus illius tanquam Villæ regie immedietate atque hæc villa verba sunt Doctissimi Hæckelii, *in insignem postea Imperii civitatem amplo Territorio & privilegiis plane eximiis ornata Deo Adjutore excrevit, hodieque inter magni Imperii nostri urbes magnifice floruit*.

Ex hæcenus dictis jam mirum nemini videbitur, ob Augiæ Divitis præpotentiam, illam quoque per plura sæcula nemine contradicente in wengense nostrum Cœno-



Cœnobium Jurisdictionem omnem exercuisse, cujus fundus ac Territorium sub Abbatum Augiensium Dominio semper mansit, ac tantum Illustrissimo nostro Fundatori concessus est Mons S. Michaëlis sub illis conditionibus, quæ litteris foundationis insertæ sunt, ut scilicet semper Præpositos Wengenses investendi, confirmandi, orta in Electione Dissidia componendi penes ipsos remaneret potestas. Et si minime negandum sit hanc Matrem nostram potestatis suæ limites nonnunquam excessisse ac parum maternelæ egisse cum sua filia. His prænotatis promoveamus gradum ad historiæ nostræ periodum primam.

## PERIODUS I.

Prima hæc Periodus Illos Wengensis Cœnobii Canonico - Augustiniani enarrat Præpositos, quia primo anno foundationis MCLXXXIII. usque ad annum MCCCLXXVI. quo hostilem in modum illud funditus destructum ac solo æquatum fuit, religiosa tenere gubernacula. Horum acta, nos docebunt ex divinorum Judiciorum altissimisque divinæ Providentiæ Consiliis nullam felicitatem stabilem esse, rebus in humanis læta succedere tristibus, & tristia lætis, ac in Deo omnem tollerandam esse spem ac fiduciam, qui *mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit, pauperem facit & ditat, humiliat, & sublevat.* 1. Reg. v. 6. & 7.

### CAPUT I.

Primi duo Præpositi ex Canonica Marbacensi adducti.

#### §. I.

Anonymus I. Præpositus.

Hujus primi Præpositi Nomen ignoramus, nec aliquando, multo licet labore & industria, deteximus scriptum. Hic, ut restatur vetus Præpositorum Catalogus, per Fundatorem wengensis Monasterii Nobilem Virum Wittigogum Comitem de Albeck de Canonica regulari in Marbach cum aliis fratribus adductus Anno Domini 1183. in Præpositum est electus & institutus, qui Ecclesiam & habitacula apta pro Religionis observantia construere cœpit, & parum temporis rexit, nostri Ordinis Canonici Regulæ strictus observator. Tandem obdormivit in Domino post septennium, cujus anima requiescat in pace.

Quamvis primi hujus nostri Præpositi Nomen nos lateat, grande tamen factis Nomen illi tribuit, inscriptum a posteritate illi Elogium quod strictus Ordinis nostri regulæ observator fuerit dilaudatus. De veritate hujus Ecomii dubitari vel ex eo nequit, quod piissimi Fundatores nostri pro Novella Collegii nostri plantatione, ac inducenda Religione Canonico-Augustiniana illum ex florentissimo tunc temporis Canonicorum Regularium Cœnobio Marbacensi cum septem aliis ejusdem religiosæ vitæ sectatoribus adduxerint. Est autem Marbacense hoc Alaceterium in superioai Alsatia prope Colmariam situm. S. Irenæo Martyri, atque una simul sanctissimo Legislatore nostro D. Augustino sacrum. Fundatorem habuit Nobilem quemdam Militem Burckardum de Gabenswiler Cathedralis Ecclesiæ argentinen-sis Ministerialem: Occasio foundationis hæc fuisse dicitur. Burckardus pro more suo Venationi incumbens ob nimiam fatigationem ad quietem se composuit. Toto tempore in herbam virentem prostratus in somno Christum humani generis Salvatorem coruscantibus quinque SS. Vulnerum suorum cicatricibus sibi adstare vidit. Stipabant equidem Latus Regina cœlitum, & Canonici Ordinis Restaurator Augustinus Pontificali indutus habitu, qui de ædificando in loco quietis Cœnobio Burckardum admonebant. Hic post amænissimum hoc spectaculum sibi redditus, rem serio ac minime ex somni ludibrio agi existimans, ocyus divino instinctu manum accomodavit operi, ac omne illud, quod incultæ telluris possederat spatium, consecratum Deo voluit pro ædificatione Monasterii, quod postmodum



Marbacensis nomen obtinuit. Aliud miræ hujus visionis testimonium ob deperditæ primævæ Institutionis documenta non exhibetur, quam quidam versiculi germanici vetustæ, ut ajunt, tabulæ inscripti, qui tamen recentioris ævi sunt. Eandem visionem narrat Henricus Pantaleon de viris Illustribus Germaniæ P. III. in Leonardo Asceterii Marbacensis Priore: In Alsatia, inquit, & Diocesi argentinenfi insigne & præclarum Monasterium: a Burchardo nobili milite de Geberswiler pro Canonicis Regularibus S. Augustini ædificatum, atque Mangoldus de Littenbach Canonicus Primus Præpositus constitutus est anno 1060. cum nimirum prius *Diva Virgo & S. P. Augustinus Fundatori prædicto, id loci forte somno iudulgenti, conspicui adstitissent, & Monasterium in forma, quam adumbraverant, ut moliretur jussissent.* Afirmat autem Pantaleon anno 1560. Marbaci sibi, dum ibi hospes diverteret prædictum Leonardum antiqua monumenta communicasse. Primi Marbacensis Monasterii Canonici de Venerabili Congregatione S. Ruffi, quæ eximio pietatis ac Sanctitatis fulgore eo tempore totam Galliam illustraverat, per Fundatorem adducti sunt circa annum supra nominatum constituto in primum Præpositum *Mangoldo de Lutenbach*, qui ut ait Bertholdus Constantiensis in suo Chronico ad annum 1095. *mirabiliter Ecclesiasticam Religionem, in illis Partibus extinctam, Deo miserante reaccendit; nam invalescente apud illos diuturna mortalitate, omnes pene majores, & militares ipsius Provinciæ ad ipsum catervatim convenire & officia Simoniacorum & incontinentium Presbyterorum penitus recipere noluerunt.* Ad annum 1015. hæc habet: *Mangoldus Venerabilis Præpositus Canonorum apud Marbach degentium ab Henrico Rege diu in captivitate detentus est, eo quod Schismati contra Ecclesiasticam Auctoritatem obedire noluerit, unde & tota Ecclesia longe lateque condoluit.* Existimat Joannes Fronto, Canonicus S. Genevæ Parisiis, *Mangoldum hunc eundem esse cum Mangoldo, ad quem S. Ivo Carnotensis Episcopus Epistolam quadragesimam scripsit.* Vid. opera S. Ivois P. II. p. 137. Edit. Paris. Certum est illo tempore, quo Wittigogus foundationi nostri Collegii animum adjecerat, Marbacense Asceterium latissime jam effloruisse ac ob regularis disciplinæ famam plures ex illo pro variis Monasteriis præstantes viros fuisse evocatos, ut aliis ad rigorosam & exactam vitæ Canonico-Apostolicæ observantiam Duces ac Magistri essent. Contendit Mauburnus noster in Venet. l. 1. c. 9. jam sub annum 9094. Marbacensem Canoniam in Congregationem satis magnam (quæ successu temporis 300. complexa est Monasteria) excrevisse. Pennotus in Hist. trip. P. II. cap. 66. n. 1. sequentia ex Honorii P. M. Bulla ad Gernardum Præpositum Marbacensem adducit verba: *Quæ Domus (Marbacensis Canoniam) quam late effloruerit, quam districtam vitam duxerit, quam sublimata fuerit, testimonio sunt Capitularis Congregatio fere 300. Monasteriorum, Constitutiones, reliquæ &c.* Ex tam celebri Ordinis nostri Cœnobio primam nostram coloniam fuisse introductam gloriari possumus, jure tamen irascimur iniquitati temporum memoriæ nostræ fuisse subtracta primi Præpositi ejusdemque Sodalium Nomina.

Perierit autem licet Præpositi hujus Nomen, conspicienda nihilominus adhuc est illius effigies penicillo expressa. Arma gentilitia fere eadem sunt cum illustri Baldingerorum Patritiorum Ulmensium familia, salientem enim canem præferunt, diagonaliter tamen secta non est scuti Area Trautweinius noster, nunc Decanus, sic olim de hac tabula cecinit in *Josepho accrescente.*

Primus in extensa spectandus Sindone Præsul  
Pingitur Alsatia wengam translatus ab ora,  
Cum Sedes, wittigove, tuas mirantibus arvis  
Ostenfurus erat jam certo nomine *Clivus*,  
Aggere tunc nondum stebilem qui despicit urbem.  
Scilicet empyrio flagrans Albeckius æstu  
Munere non uno faciles obstringere Divos,  
Dum meditatur opus, Magni Michaëlis honori  
Tecta peregrinæ prona in solatia turbæ,  
Decretasque pio Laudes pactura Tonanti;  
Hunc Magnum probitate virum, magnaque Sophia,  
Detulit in patrias Marbaci e Littore terras  
Subsidium teneris fulcrumque haud debile tectis.

Magna



Magna illi species, & prisca propria seclis,  
 Nec Wittigovæas impar pertexere curas;  
 Quippe nec ingenium, nec pro re Numinis ardor  
 Nec studium populi, nec Nobilitatis avitæ  
 Gratia, nec Virtus ( præstandis optima rebus  
 Semita) necristi deerat spes obvia forti,  
 Quæ lætas dubiis ceu duris ictibus aurum,  
 Obvertit vires cælo firmante procellis.  
 Ille, per Istræas cum Cæsaris agmina ripas  
 Starent: Romulea cum missus ab arce dynastes  
 Perficeret Sancti iussa rem voce Monarchæ,  
 Divitis Augiæ cum Regi assisteret alto  
 Præsul, & Acroniam Flamen præcellus ad undam  
 Diethelmus; magni cum Nomina summa Senatus  
 Purpureusque Ordo densum circumdaret agmen  
 Teutonidum Capiti, stetit ille, unusque perorans  
 Flexit in ingenuam regalia pectora causam.

Anno 1186, Diethelmus Augiæ Divitis Abbas pacata Germania & Italia Romanam adiit ac ab Urbano III. omnium Privilegiorum Augiensis Archiepiscopii confirmationem impetravit non sine ingenti lætitia Canonicorum nostrorum in monte,

## §. II.

## Anonymus II. Præpositus.

Secundus quoque hujus Præfulis ac Præpositi nostri Nomen in Veterum Chartis evanuit. Annus, quo Præposituram adiit certus non est; per Electionem autem successisse circa annum 1190. constanter affirmari video. En! ejus Imaginem laudati supra Poëtæ penicillo breviter depictam:

- - - Hic etiam Marbaci e stirpe propago  
 Sincerumque fuit devoto e semine germen  
 Hinc illi Pietatis amor, nativæque flamma  
 In Superos; hinc Mundi horror, cœlique cupido,  
 Hinc ardor legum, & Zelus devinctus olympo,  
 Queis tum nascentem non multo a tempore florem  
 Nutriit & docuit cultuque ævoque potiri.

Anno 1192. Diethelmus Augiensis Abbas unanimi totius Cleri ac populi Constantiensis consensu ad gubernationem Episcopatus assumptus est, retinens tamen etiam Divitis Augiæ possessionem. Ita Bruschius. In Catal. Episc. Const. Fallitur tamen in Chronologia sua Bruschius, jam enim anno 1191. Fundationi Monasterii Bebenhusani subscripsit Diethelmus tanquam *Episcopus Constantiensis*; quod Diploma reperitur in *Documentis rediivis* Besoldi p. m. 357. 358. & 359. Accidit hæc electio Novellæ Plantationi nostræ merito jucundissima, quem enim jam prius sensimus fautorem, Clementissimum postea experti sumus Episcopum. Privilegia enim in prima fundatione nobis concessa non tantum confirmavit, sed novis favoribus auxit ac potenter protexit. Non enim apud Romanum tantum Pontificem ac Imperatorem gratia valuit; sed insuper Fundatores nostros perpetua amicitia coluit, a quibus eidem summopere Monasterium in Monte fuerat commendatum, teste Bruschio Chronol. p. 44.

Incidit in tempora Regiminis hujus Præpositi luctuosissima mors Imperatoris Friderici I. Barbarossæ, in cuius augustissima præsentia deque illius clementissimo consensu solennissime in monte peracta fuit Wittigovæa fundatio, qui post edita



contra Thraeces, Græcosque Insignia fortitudinis exempla, post Turcas ingenti strage fusos, post Iconium Sultani sedem expugnatam, in Armenia in præfrigidâ Cysni unda, quam seu corporis æstivo calore abluendi, seu vadi scrutandi causa intraverat, ingenti orbis Christiani luctu submersus interiit. Rerum summam in Palestina filius equidem Fridericus suscepit, at non diu superstes, quippe in Ptolemaidis obsidione morbo extinctus, exercitu vel adversa valetudine, absumto, vel a signis dilapso paucis in Patriam redeuntibus. De fluvii nomine Auctores minime conveniunt, alii *Sophet*, alii *Cydnium*, alii *Caleph Seleph* hi *Serram* vocant. Constantiter tamen omnes Scriptorum aquis suffocatum optimum Imperatorem referunt. Solatii res plena est, quod *Marinus Sanutus* l. 3. P. 10. scribit: *Fridericum adhuc spirantem Sacri Dominici Corporis participem factum fuisse, ac deinde mortuum. Alii volunt triduo elinguem jacuisse antequam moreretur. Sulgerus in Annal. Zwif. ad hunc annum ex Stadenſi narrat, Friderici inter postremos agones verba ultima hæc fuisse: Accipe Jesu spiritum meum: Benedictus crucifixus Dei Filius, quod aqua me suscepit; qua me regeneravit: me Martyrem faciat, quæ me fecit Christianum.* Vide Dissert. Joann. Christoph. Artopæi, Argentoratensis Canonici 1696. quæ etiam recusa est in Theſ. rer. Suev. Laudati supra Wegelini Vol. 2. dissert. 23.

In perpetuæ gratitudinis monumentum Epitaphii loco Magnanimi hujus ac Summi Imperatoris Friderici tumulo inscribam Elogium a Niceta Choniata l. 2. de rebus Ifacii Angeli Imperatoris scriptum. *Fridericus inquit: vir ultra omnes omnium gentium Christianarum Principes Christi desiderio flagrans: patria, deliciis regis, tranquillitate beata domi, superbaque cum charissimis vita despectis cum Christianis Palestinæ incolis ærummas tolerare maluit, & propter Christi nomen & vitalis sepulchri venerationem, exterâs terras patriæ prætulit, ab eo instituto non tot parasanguis, non tam longinquo, & ubique difficili itinere, non periculis, quæ a gentibus, per quarum Provincias transeundum erat, imminabant, deterritus: Non aquæ penuria, non præfinitus, isque emptitius panis, & alicubi insidiosus, eum ab instituto dimovit. Non liberorum amplexus cum lacrimis, & extremæ salutationes animum ejus commoverunt aut effæminarunt, sed potius instar Pauli Apostoli, vitam parvi æstimans abiit, non modo ut vinciretur, sed etiam ut pro Christi nomine moreretur. Adeo Apostolicus fuit illius Viri fervor, & religiosum institutum, nihil eorum sanctorum inferius, qui extra communem sortem positi, tota contentione animorum ad vitæ rationem Evangelicæ celsitudini respondentem seruntur, & totius ætatis cursu eo directo res humanas pro stercorebus despexerunt. Hæ laudes ex ore hominis græci, qui plerumque hostes Alemannorum erant, maximum certe piissimo Imperatori Decus afferunt.*

Ad Instantiam Diethelmi Abbatis Augiensis & Constantiensis Episcopi Innocentius III. Collegium nostrum sub beati Petri & propriam protectionem susceperat, specialiter autem Autoritate Apostolica confirmavit nostrum in monte Polyandrium anno Pontificatus sui secundo 8. Kalendas Maij, qui annus fuit 1199. Bulla Pontificia sic habet:

### Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei

Dilectis filiis Præposito & Fratibus sancti Michaelis regularem vitam professis, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota, quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino Filii, vestris postulationibus annuentes, personas vestras cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, Deo propitio poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem concessionem super sepeliendis vestris fratribus, conversis & familia, a venerabili fratre nostro Constantiensi Episcopo Diocesano nostro vobis factam, sicut provide facta est, & in authentico Eiusdem Episcopi continetur, Auctoritate vobis apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Protectionis & confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumperit, Indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datæ Laterani, VIII. Kal. Maij Pontificatus nostri Anno secundo.



## §. III.

An spes nulla superfit in Marbacensi Canonica detegendi utriusque  
Anonymi Nomina?

Nihil intermiscere laboris ac Industriæ Antecessores nostri, ut illa detegerent, constans tamen Marbacensium primorum nostrorum Parentum fuit responsio: sub decursum Sæculi decimi sexti paratragædiante rusticorum turba potiora domus suæ documenta aut igni fuisse tradita, aut rapacibus harpiis cecidisse in prædam. Ego, cum scirem posterorum diligentia varia subinde detecta esse historiæ adjuncta, quæ superioris ætatis vel inciticia, vel negligentia deperdita omnino crediderat, humanissimis litteris accessi quemdam ex Marbacensibus Canonicis anno 1738. ut lucem hæc in tenebris impetrarem. Quibus ipsemet Reverendissimus ac Illustrissimus D. Marbacensis Antistes D. Josephus Antonius Breifs d' Ehrenpreifs respondere dignatus est, notitiam tamen desideratam, quam ipse non habuit, dare non potuit, quam suam impotentiam gratiosis hæc litteris humilitate ac humanitate plenissimis ad me tunc temporis Collegii Wengensis Decanum, datis excusavit.

P. P.

Imputare Dominatio Vestra negligentia merito posset tam diuturnum silentium ad gratissimas vestras jam in mense Februario ad me scriptas (gratissimas inquam) quid enim gratius, acceptius, jucundius, & optatius septuaginta duorum annorum seniculo mihi accidere potuisset, quam a celeberrima vestra Canonica obtinere nova? ubi anno 1717. & quidem reiteratis vicibus hospitando, tot tantisque gratiis a Reverendissimo D. Præsule Wengensi Augustino fel. mem. & a lectissimis Dominis Canonicis omni genere benevolentia ac beneficiorum tantum non submersus sum, propter quæ etiamnum gratias dignissimas rependo, & utinam Marbaci aliquantisper (si non omnibus) saltem quibusdam e gremio vestro dignissimo animum meum gratum iisdem benefaciendo exhibere possem dum mihi vita superest! quantum gaudium, quis júbilus, qualis consolatio, mihi id foret! verum, ut tandem paucis ad humanissimas Dominationis vestrae respondeam; doleo, quod non plus informationis ad desiderata dare valeam, quam jam vos habere sciam, nimirum quemdam anonymum e gremio Marbacensi circa annum 1183. per annos septem vestrae laudatissimæ Canonice primum profuisse Præpositum; atque hunc eundem anno 1190. alium (Anonymum quoque) e nostris professis subsecutum imo & alios Marbacenses eodem tempore ad Vineam Wengensem noviter plantatam submissos, ut eandem colere novos Vinitores adjuvent. Mirabar quod vestra Reverentia non recta ad me scripserit, quod revera pro singulari honore mihi duxissem; forte Dominationi vestrae non innotui, permittat, ut quæram, quisnam in Præpositura Reverendissimum p. m. Augustinum fuerit secutus? an qui successit etiamnum vivat? quod ei nomen? cui mea submississima, me commendans, offero obsequia, alias me agnoscens omnibus RR. Dominis celeberrimi Collegii vestri dignissimis membris & specialiter

Plurimum Rdæ Dominationi Vestrae

Servum obstrictissimum, qui sum

Marbaci in Alsacia prope Calmariam  
in Festo Conversionis S. P. N. Augustini  
Anno 1739.

Josephus Antonius Preifs d' Ehrenpreifs  
Prælatas Marbacensis

Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera.

H h h h

Idem



Idem Reverendissimus ac Venerabilissimus Senex adhuc junior ad Reverendum D. Franciscum Petri Germaniæ Canonico-Augustinianæ has ipsas querelas præmisit in gratiosis suis litteris anno 1689. die 26. Novembris exaratis,

*Acerbe doleo, inquit quod ob defectum principalium documentorum nostrorum, quæ jam sub decursum Sæculi decimi sexti tempore belli rusticani a potiori perierunt, & a seditiosa tumultantium agricolarum turba Vulcano tradita, vel violenter fuerint discerpta, perditæ, & ablata, ampliore informationem dare haud possim. Nostro decurrente Sæculo usque ad annum 1633. supersuit apud nos insigne quoddam & inæstimabile Chronicon ab antiquis Canonicis Marbacensibus ab integris quatuor Sæculis magna sane sedulitate conscriptum, in quo præter diversa notitia mirabilis quoque rerum ac temporum Metamorphosis, mutationes item Statuum, Ordinum, Provinciarum ac Monasteriorum accurate fuerunt annotata: Hujus proin libri raritas & præstantia quam plurimos Patriæ nostræ Magnates, Viros doctos, imo & doctissimos, isthuc Marbacum attraxit, qui non tam animi relaxandi causa, quam ob hauriendam tam certam & evidentem peritiam pluribus diebus isthic sese detinebant, legebant, seque cum maxima mentis oblectatione divertebant. Verum hujusmodi Chronicon postmodum tempore belli Suecici, una cum thesauro & pretiosissimo Ecclesiæ nostræ ornatu (quem ex puro auro consecutum Isabella Clara Eugenia Illustrissima Belgarum Princeps nobis donaverat) Brisacum tanquam ad commune Patriæ nostræ asylum tutissimum sicut translatum, ubi tandem jure belli ad manus Bernardi Weinmariensis Ducis Saxonie Generalem, uti vocant, Auditorem Georgium Walck, patriam Norinbergensem acatholicum devenerit, & sic haud sine gravissima injuria a nobis ablatum perit,*

Tertia vice tentavi Vadum, & Marbacensis Canonice Antistitem feliciter regnantem Reverendissimum DD. Josephum ea, qua potui humanitate accessi, rogavique, si tamen vires humanas non superaret opus, ut detegi mihi ex veteribus Chartis curaret primorum nostrorum duorum Præpositorum nomina. Actum tamen iterum egi,

## PERIODUS I.

### CAPUT II.

#### De Seyfrido III. & Translatione prima Monasterii S. Michaelis de monte.

##### §. I.

Seyfridus impetrat consensum transferendi Monasterium de monte.

**S**eyfridus, cujus Nomen tandem vetustiores produnt tabulæ, optimum Antecessorum suorum exemplum secutus ac illorum vestigiis firmiter inhærens, ob exactam Canonis Augustiniani observationem & Religiosissimam conversationem omnem piissimorum Fundatorum nostrorum amorem & affectum in se derivavit. Canonicorum etiam suorum Confratrum æstimationem rerum agendarum prudentia & affabilitate sibi in tantum conciliavit, ut dignissimus ab iis habitus sit circa annum Domini 1200. tertius in monte S. Michaelis Canonice-Augustinianæ familiæ Præpositus. Toti Comitum Albeckensium Prosapia jucundissima ac gratissima accidit hæc Electio, novumque Præpositum sibi præsentatum ex litterarum foundationis præscripto pari gaudio confirmavit Reverendissimus Fautor noster, ac paterno semper erga nostram Novellam Canonicorum plantationem amore affectus Augiæ divitis Abbas & Constantiensis Episcopus Diethelmus. Parvus eo tempore adhuc erat fratrum nostrorum numerus. Sequentes enim, qui utique pauci erant sub Neoelecto Præposito Seyfrido legimus vixisse, quorum Nomina erant Berchtoldus, Baltherus, Eberhardus Presbyteri, Rudolphus, Waltherus, Diaconi. Seyfridus Subdiaconus.

Præpositus noster statim primis Regiminis sui annis cum fundatoribus nostris consilium inire cæpit de transferenda habitatione nostra de Monte S. Michaelis in patentem, & jucundam extra civitatem Ulmensem aream, quam gemina Blavii fluminis brachia ceu Insulam spectantium oculis objecerant, & quia totius hujus area fatis amplum spatium in partem superiorem & inferiorem divisum appellari  
sole-



solebant *die hohe und niedere Wengen* usque ad moderna tempora nostro Collegio *Wengorum & Insularum* nomen adhæsit. Si populari traditioni adhibenda fides, transferendi Monasterium unica causa fuit aquæ in monte penuria, fontana enim, quotidianis necessitatibus destinata, per unius fere horæ distantiam ex alio vicino Monte advehi per duos asinos debuit, ab his ipsis auritis hydrophoris animalibus nomen sortito, quod etiam hodie retinuit: corrupto vocabulo *Mons asinorum* dictus, sive *der Eselsberg*. Quæ tamen Nomenclatio ac narratio falsa omnino est, in antiquioribus enim chartis non vocatur: *der Eselsberg*, sed *Oelsberg*, a Capella quadam Christo in Monte Oliveti sanguinem sudanti sacra: *Oelsberg* enim *montem Oliveti* vel olivarum sonat, sicut enim habet alia Chronicorum Ulmensium traditio. Si tamen inspiciatur probe tenor Episcopalis concessionis de monte transferendi Monasterium alia causa non suberat, quam officinarum metallicarum, & ferrariarum, de consilio Fundatorum, fors etiam ipsiusmet civitatis Ulmensis in bonum fundati a se cœnobii erigendarum opportunitas. Sui minime juris ea tempestate erat Ulmensis civitas, sed Augiæ Abbatum suberat, quod supra memoravimus Imperio, quare novæ huic Comitum Albeckensium molitioni nihil unquam opposuere. Legitur in veteri Præpositorum nostrorum Elencho Seyfridum jam anno 1200. translulisse Monasterium de monte. Hoc veritati consentaneum non est. Vetus inscriptio in Insulis nostris olim reperta, & usquehuc in chartis antiquioribus conservata hæc habet.

*Anno ab Incarnatione Domini Millesimo Ducentesimo  
QUINTODECIMO Kalendis Aprilis inchoatum est Mo-  
nasterium hoc nostrum S. Michaelis in Insula a Vrnerabili  
Seyfrido ejusdem loci tertio Præposito in Ordine, & sub  
Sibbothone tunc temporis Advocato fratre Fundatoris nostri  
Comite de Albeck.*

Si autem Anno 1215. primum inchoatum fuit ædificium, qua ratione dici poterit Monasterium de monte jam anno 1200. fuisse ad Insulas wengenses translatum, præsertim cum a *Jove* factum fuerit *principium*, scilicet omnium Primo construi cœperit Collegii Ecclesia, & quidem satis splendida & sumptuosa quæ olim *Wengensis Basilicæ das Wengen Münster* nomen obtinuit.

Serius itaque de monte cum suo cœnobio descendit Seyfridus, & quia in grandi hoc negotio facile sibi consentientes habuit Illustrissimos nostros Progenitores & Advocatos, horum comendatione adjutus absque ulla difficultate impetravit a Constantiensi Episcopo, ad quem fundus pro novo erigendo asceterio spectavit, consensum ordinarium (sine Privilegiorum in monte possessorum dispendio) transferendi Monasterium ad locum Officinis nostris, quas tunc vel meditabatur Seyfridus cum suis Canonicis vel omnino erectæ jam erant, opportunum. Ecce! totum consensus Diethelmi tenorem - Diethelmus Dei gratia Constantiensis Ecclesiæ Episcopus dilectis filiis Præposito & fratribus ejus tam præsentibus quam futuris in Monte sancti Michaelis Ulmæ existentibus salutem in Domino, ad nostram sollicitudinem pertinet Episcopalem omnibus justa petentibus facilem assensum præbere. Religiosis autem crucem Christi subvenire, & contra omnem calumniam improborum tuitionem providere. Propterea auctoritate duplici qua fungimur Episcopali jure, & jure fundi nostri, pertinentis ad nostram Augensem Ecclesiam, indulgemus vobis liberum arbitrium transferendi habitationem vestram a monte in quo estis, in planum quem præeligetis opportunum vestris officinis. Statuimus etiam ut hæc mutatio loci sine omni præjudicio juris & rationum vestrarum in perpetuum consistat. Item ut locus, quem ad Monasterium construitis, pace & privilegio religioni debito inviolabiliter gaudeat. Decernimus etiam, cum fundus Ecclesiæ jure proprietatis ad nostram Augensem Ecclesiam pertineat, ut liceat omni familiæ Augensis domus Servorum & Monasterialium facere commercium vobiscum rerum suarum mobilium & immobilium, per donationem, commutationem & venditionem. Si quis autem hanc paginam nostræ firmationis in jure vobis debito aliquatenus vobis infregerit, anathema sit, & indignationem Domini Jesu Christi & Matris ejus sanctæ Mariæ, nisi resipiscat perpetuo incurrat Amen.

Datum Constantiæ anno Domini M. . . . V. Kalendas Octobris Indictione.

(L.S.)

H h h h 2

Annus



Annus, quo datus est a Diethelmo hic consensus, item Romana Indictio fugientibus in Pergameno litteris detegi haud amplius certo potest.

## §. II.

## Inchoat ædificationem Monasterii in Insulis.

Anno 1215. ut §. præcedenti fuit dictum, postquam omnia ad ædificationem necessaria præmississet, ipsi tandem operi primam accomodavit manum, ac Wengensibus in Insulis debita cum pietate ac consuetis solennitatibus ponere fundamenta cepit sub invocatione Divini Numinis ac Patronorum nostri Collegii. Inceptum grande hoc opus e caelo benedixit Deus; Illustrissimi autem Fundatores nostri omnem impenderunt operam, ut paucos intra annos in altum surgeret altera hæc in honorem sancti Michaelis erigenda Basilica, novumque in Insulis Canonici Ordinis asceterium, quare omni favore, liberalitate, & auxilio Seyfridum adjuverunt, novisque accessionibus bonorum Religiosos suos Clientes ditarent. Inter illos primo loco nominari meretur Illustrissimus Berengerus Albeckensis Comes primi Fundatoris nostri Germanus, qui pietatem fratris sui æmulatus anno 1219. Ecclesiam seu Capellam sancti Andreae in Stozingen liberalissime per donationem nobis contulit, ut patet ex sequenti & vetustissima notula:

Sciatis universi tam præsentis, quam futuri, quod generosus Dominus Berengerus Comes de Albeck frater Fundatoris nostri Monasterii, contulit dicto nostro Monasterio anno Domini 1219. Ecclesiam seu Capellam sancti Andreae sitam in villa Stozingen, quam collationem Honorius III. anno Pontificatus sui septimo sequenti Diplomate clementissime anno ab Incarnatione Domini 1223. confirmavit.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Præposito & conventui de Insula S. Michaelis apud Ulmam, salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum & honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, capellam sancti Andreae sitam in villa Stozingen, nec non & alia bona vestra, sicut ea omnia iuste, pacifice ac canonice possidetis, vobis & per vos Ecclesie vestrae Auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ex ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Data Laterani V. Kalendas Octobr. Pontificatus nostri anno septimo.

Eodem anno Sibotto Berengeri hujus pariterque Fundatoris nostri germanus frater cum filio suo Witigogo nova donatione liberalissime succurrit surgenti in Insulis S. Michaelis Ecclesie, Ecclesiam S. Martini in Hervelsingen cum jure patronatus ac aliis pertinentiis in perpetuum offerendo. En ipsos iterum donationis litteras.

In Nomine Sanctæ & individuae Trinitatis, quia necesse est, ut ea, quæ in tempore geruntur, ne cum tempore labantur, apicibus litterarum commendentur, cujus rei gratia notum sit universis Christi fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quod ego Sibotto de Albege & Witigogus filius meus pro remedio animarum nostrarum, ac salute parentum nostrorum Ecclesiam in Hervelsingen cum jure Patronatus, & aliis pertinentiis Beato Michaeli Archangelo apud Ulmam in perpetuos usus fratrum ibidem Deo famulantium liberaliter atque solenniter contulimus. Ut autem hujusmodi donatio majoris roboris censeatur, præsentem paginam sigilli nostri appensione communivimus. Acta sunt hæc anno Incarnationis Dominicæ 1219. tertio Kalendas Octobris. In ipsa Ecclesia sancti Michaelis (alibi Capella dicitur) coram Henrico Plebano, Hainrico Decano, Luithardo Sacerdote, Hainrico Sacerdote Ulmensibus, Bilgimo Nobili de Hutwil, Eberhardo Milite de Luderstein, Seifrido Milite, & Lieningo Milite & aliis multis testibus huc vocatis.

Hanc donationem etiam calculo sub ratam gratamque habuit cum toto Reverendissimo suo Capitulo cæthedrali Sifridus ex Rechbergiorum de Calatin nobilissima familia ortus ac in Episcopum Augustanum anno 1208 electus, ut sequentes perhibent confirmationis litteræ.

In



In Nomine Patris & Filii & Spiritus sancti amen. Sifridus Dei gratia Augustensis Ecclesiae Episcopus. Quotiens donationes aliquae fiunt in subsidium Ecclesiarum, talis adhibenda est discretio, & sollicitudo, ne eas, quae rationabiliter sunt acta, processu temporum casu quolibet in irritum, sive in dubium valeant revocari. Hujus itaque rei gratia notum facimus universis tam futuris quam praesentibus Christi fidelibus, quod cum nobilis vir Dominus Sibotto de Albecke divino motus instinctu proprietatem sive jus Patronatus in Hervelsingen cum suis pertinentiis Ecclesiae S. Michaelis apud Ulmam in perpetuos usus fratrum ibidem Deo militantium pro salute animae suae & Parentum suorum liberaliter & solenniter tradidisset. Nos ad instantiam & devotionem dilecti in Christo fratris Sifridi Praepositi & Conventus, loci jam dicti, Deo principaliter inspecto ad meliorationem praebendarum, quae tenues ibi sunt admodum & pauperes, mediantibus Dominis nostris Capitulo majori & praebentibus assensum, auctoritate Episcopali dispensantes curam animarum supra dictae Ecclesiae Hervelsingae salvo in aliis Jure Dioecessani contulimus Ecclesiae sancti Michaelis, ita tamen, quod illa Ecclesia de Hervelsingen scilicet per sufficientem & honestum Vicarium, qui sciat & valeat commissam sibi regere plebem, debeat ordinari. Ut autem factum nostrum non parva deliberatione provisum, attentione qualibet impugnari non possit, ne dum infringi, praesentem paginam saepe dictae Ecclesiae sancti Michaelis inclusimus Sigilli nostri munimine roboratam.

Acta sunt haec Augustae Anno Dominicae Incarnationis MCCXVIII, undecimo Kalend. Decembris coram Domino Rappotone majore Praeposito, Alberro custode, Heinrico de Mändechingen, Heinrico Huchingo Archidiacono, Wernhero Inctimanno Subdiacono Canonicis Augustensibus, Cunrado Decano de Urspringen, Magistro Kunone minore de Wisenstaig & aliis quam pluribus testibus ad hoc vocatis.

Obiit hic Sifridus Augustanorum Episcopus Anno 1227. dum Fridericum II. iter Hierosolymas instituentem sequeretur.

Hoc ipso quo Comites de Albeck erga nos liberalissimos sese exhibuere adilitias Seyfridi Praepositi curas pietate ac liberalitate sua etiam juvit Adelhaidis Comitissa de Saxonia fundato pro se Anniverfario.

### §. III.

Recipitur Collegium nostrum in Protectionem Apostolicam, ac de novo confirmantur praefatae Donationes.

**N**ec favor Romanorum Pontificum meritisimo nostro Praefuli defuit; Honorius enim hujus nominis tertius Summus Christi in terris Vicarius morum integritate sanctissimus ad humillimas Seyfridi preces inclinatus Collegium nostrum ac personas nostras cum omnibus bonis in suam protectionem anno 1220. suscepit, ac insuper novum confirmationis Pontificiae pondus addidit relatis in hoc capite donationibus per Bullam praesentem:

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Praeposito & Conventui sancti Michaelis ad Ulmam, salutem & apostolicam Benedictionem. Sacrosancta Romana Ecclesia devotos & humiles filios ex asueto pietatis officio propensus diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia Mater suae protectionis munimine confovere. Ea propter Dilecti in Domino filii vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras, & Monasterium in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quae in praesentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum conceptis modis praestante Domino poteritis adipisci, sub Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem Ecclesiam S. Martini in Hervelsingen & Capellam S. Andreae sitam in villa Stozingen, & alias Ecclesias, quas juste & pacifice possidetis, vobis & Monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus, & praesentis scripti patrocinio communimus, provisi, quod in dictis Ecclesiis per confratres vestros, vel Vicarios Idoneos divina sine alterius praesudicio celebretis. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Data Laterani VI. Id. Maij, Pontificatus nostri anno quinto.

Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera.

l i i i

§. IV.



## §. IV.

## Obitus Seyfridi primi in Insulis Præpositi.

Mortem meritissimi hujus Præfulis ad annum Domini 1221. commemorat Reverendissimus Scriptor noster Joannes Præpositus hisce verbis: *Anno Domini 1221. hic Præpositus obiit in die Exaltationis sanctæ Crucis.* Cum autem simul referat Diepoldum IV. in ordine Præpositum regere cepisse anno Domini 1227. probabile mihi minime videtur annum obitus Seyfridi rite fuisse assignatum, per integrum enim sexennium vacasset post fata Seyfridi Præpositura in Insulis. Verosimile id mihi minime videtur ex hac potissimum ratione, quia Persona Superioris, in constructione Monasterii protanti operis directione fuerat summopere necessaria, ne, ut in constructione turris Babylonicæ est factum, confunderentur linguæ. Magis itaque ad veritatis scõpum collineasse Casparum Bruschium puto, qui in descriptione Wengensis cœnobii ita loquitur: *Sifridus tertius, ultimus in Monte & primus in Insulis Blavi Annis Præpositus. Siquidem ejus temporibus, anno videlicet 1215. facta translatione inchoatum est Monasterium S. Michaelis in Insula sub Sibottone Comite de Albeck Monasterii advocato, temporibus Philippi & Ottonis Imperatorum inter quos grave erat Schisma. Præfuit is huic loco 26. annis. Obiit anno 1227. Qui annus accurate convenit cum initio Regiminis Diepoldi de quo infra.*

Pertinet itaque ad tempora hujus Præpositi Dedicatio Capellæ in Insulis noviter constructæ a Conrado II. hujus Nominis Constantiensi Episcopo facta anno Domini 1224. attestante sepuenti veteri notula, quæ sic habet: Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo vicesimo quarto undecimo Kalendas Decembris dedicata est Capella a venerabili Conrado Constantiensis Ecclesiæ Episcopo in honorem sanctæ & individuæ Trinitatis & victorissimæ sanctæ Crucis & gloriosissimæ sanctæ Dei Genitricis Mariæ perpetuæ Virginis, præcipuè autem in honorem sanctarum Virginum & Martyrum Margarethæ & Katharinæ. Continentur autem in hoc altari reliquiæ sequentes:

Sanctorum Apostolorum Jacobi & Andreæ, sanctorum Martyrum Viti, Joannis & Pauli, Pelagii, Thomæ Ep. & M. Longini, Sebastiani, Alexandri, Innocentium Martyrum, sanctorum Thebæorum, sanctorum Confessorum Martini Nicolai Ottonis, Pharaonis, Galli, Sanctarum, Mariæ Magdalenæ, Agathæ, Apfræ, Chunegundis, Hylariæ, Dignæ, Eunomiæ, Eutropiæ, Ursulæ undecim millium Virginum.

Notandum hic S. Pharaonis, sive Pharonis Maldensis Episcopi reliquias frequentius in altaribus apud nos in Insularum nostrarum Capella & Ecclesia consecratis fuisse reconditas, quod traditionem firmare videtur, corpus hujus sancti Episcopi in templo cœnobii Herbrechtingani ad amnem Brenzianum requiescere. Dicitur illud a juvenis avectum & huc tractum ad fontem usque cœnobii, qui hac adhuc ætate Pharonis puteus dici solet. Lapis sepulchralis muro cœmeterii inclusus visitur, sed corporis ipsius sepulti nullum amplius vestigium extat, quæ causa? hanc vide apud Scriptorem celeberrimum Carolum Stengelium Rerum august. P. II. cap. XXX. N. 1.





## PERIODUS I.

## CAPUT III.

## De Præpositis Dieboldo, Luthone Henrico &amp; Othone.

## §. I.

## De Dieboldo &amp; Luthone.

De quatuor hisce laudatissimi Seyfridi Successoribus ex domesticis documentis pauca, quæ referam habeo, quare illorum notitiam unico complectar capite.

**D**ieboldus IV. a prima fundatione, Præpositus, & II. in Insulis Præposituræ dignitatem per viam Electionis adiit, teste Bruschio anno 1227. sub Henrico Abbate Augiæ divitis Comitis de Kalben. Huic Abbati prius, eodem narrante Bruschio in chronologia Augiensis Cœnobii, Pontifex Innocentius III. dederat insigne privilegium anno Domini 1207. in quo Romæ, & in omnibus Synodis Abbas Augiensis ex speciali gratia jubetur sedere ad pedes Romani Pontificis, & tenere in manu Librum Sacramentorum, Pontificalium Legum, Positionumque, & ordinationem Sanctorum Patrum. Tanta tunc temporis fuit apud Pontifices Romanos horum Abbatum gratia & æstimationis.

Etsi autem Dieboldus ob continuationem novi in Insulis ædificii, quod ad perfectionem ut facile credendum, nondum ascenderat. Satis haberet, quod ageret; memor tamen, quantum inter sit Monasteriorum, illorumque Posteritatis contra hostes quoscunque: qui nunquam defuere, nec etiam hodie defunt Sedis Apostolicæ muniri Privilegiis; Gregorio Nono Romano Pontifici cum parvulo suo Canonice cœtu supplex factus anno 1230. in Protectionem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli & Apostolicæ Sedis cum confirmatione omnium bonorum ac possessionum, specialiter Ecclesiarum in Hervelsingen & Stozingen nobis nuper donatarum, in perpetuum susceptus est, quas litteras sub forma Brevis Apostolice expeditas, huc transcribo.

GREGORIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei dilectis filiis Præposito & Conventui sancti Michaelis apud Ullmam, salutem & Apostolicam Benedictionem, Sacrosancta Romana Ecclesia devotos & humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensus diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia Mater suæ Protectionis munimine confovere. Ea propter Dilecti in Domino filii vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu Personas vestras, & Monasterium, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub Beatorum Petri & Pauli Apostolorum & nostra Protectione suscipimus. Specialiter autem Ecclesiam sancti Martini in Hervelsingen & Capellam S. Andreae sitam in Villa Stozingen, & alias Ecclesias quas iuste & pacifice possidetis, Vobis & Monasterio vestro Auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti Patrocinio communimus. Proviso, quod in dictis Ecclesiis per Confratres vestros, vel Vicarios Idoneos divina sine alieni Juris præjudicio celebretis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumperit indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datæ Perusii V. Kalendas Aprilis Pontificatus nostri anno tertio. Mortuus est Dieboldus in die S. Bonifacii Martyris. Quo anno? Haud dubie illo, quo Insularum Wengensium gubernacula suscepit



Lutho Præpositus Ordine quintus, ac tertius Wengensis Cœnobii. Electus est anno Christi 1236. ac ad clavum sedit per annos duodecim. Varie scriptum lego hujus Præpositi Nomen, nunc Lutto, nunc Lutho, nunc Lantho audit. De illius actis altum ubique silentium. Reverendissimus Joannes noster Parochialis nostræ Ecclesiæ in Hervelsingen consecrationem ad ipsius tempora & ad annum Domini 1239. hisce verbis refert: Anno Domini 1239. consecrata est Ecclesia nostra parochialis in Hervelsingen in honorem Domini nostri Jesu Christi & præcipue in honorem S. Martini Episcopi Patroni ipsius Ecclesiæ a Venerabili Episcopo Joanne de Ordine Prædicatorum, & reconditæ sunt in eo (sub Altari scilicet primario) Reliquiæ sancti Martini Episcopi Patroni ipsius Ecclesiæ. Reconditæ sunt in eo de ligno Domini, Joannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli, & Mathiæ, sanctorum Martyrum Panthaleonis, Vincentii, Leonardi, Pancratii, Thomæ Constantiensis Episcopi, Papiæ, Mauri, Marcelli & Exuperantii, & Sociorum Confessorum Nicolai, Udalrici, Pharaonis, Hilarii Severini & Sanctorum Margarethæ Domitillæ, Kunegundis, & undecim millium Virginum, ita chartularium nostrum; additur autem hanc consecrationem factam fuisse a Venerabili Episcopo Joanne de Ordine Prædicatorum. Si intelligatur per hunc Joannem Episcopus Augustanus manifestus error commissus est in Chronologia, hic quidem Ordinis Prædicatorum fuit, SS. Theologiæ Doctor, & hæreticæ pravitate Inquisitor, floruit autem primum sequenti sæculo & primum Augustanæ Ecclesiæ præesse cæpit anno MCCCLXIX. nisi fors aliquis hujus nominis & Ordinis præcedente sæculo fuerit suffraganeus, quod me latet:

Tempore Luttonis anno scilicet 1247. non sine gravissimo ædificia Monasterii continuantis incomodo, & fortassis etiam damno ab Henrico Thuringio obfessa fuit Ulma. Hæc, cum Excommunicatis Friderico & Conrado, Friderici Secundi filio, faveret, Henricum non modo urbe exclusit, sed & sagitta trajectum cum dysenteria accessisset, e medio sustulit. Ita quidem Zeilerus & Chronicorum Ulmensium nonnulli Scriptores. Alii aliter sentiunt ac contendunt Henricum non ob acceptum ex incussa sagitta vulnus, sed equo graviter lapsum obsidionem solvisse, ac non multo post Ilenaci ultimum diem clausisse Suevia misere ferro ac igne depopulata. Obiit Lutto in die S. Benedicti anno 1248.

## §. II.

### De Henrico IV. Præposito.

Fuit Henricus hic Ordine IV. quartus in Insulis anno 1248. electus, quo anno Abbatia Divitis Augiæ, pedum rexit Conradus L. B. de Cimbris. Hunc Præpositum virum litteratum ac doctum fuisse ex eo constat, quod Henrici duodecimi Boiorum Ducis vitam scripserit teste M. Georgio Draudio in Bibliotheca classica pag. 1034. hisce verbis: *Henricus Ulmensis Præpositus scripsit de rebus gestis Henrici XII. Boiorum Ducis*, Joannes Chryostomus Hagerus Canonicus Regularis Garfensis scriptoribus Ordinis nostri Canonico-Apostolici illum pariter accenset hisce verbis: *Henricus Ulmensis Canonicus Regularis Exemptæ Canonice in urbe Wengensis dictæ anno 1183. a Witigowo Comite de Albecke Primo in Monte prope urbem fundatæ deinvero post 177. annos belli causa, ne damni quid pateretur, aut hosti adversus urbem fortalio fieret, in urbem ex Wenga Insula translata: scripsit*

Derebus gestis Henrici XII.

Boiorum Ducis.

Electus est in Præpositum & obiit anno 1249. 23. Septembris.

Ita citatus Auctor in libro de Scriptoribus Ordinis Canonico-Apostolici, qui M. S. apud nos servatur. Idem habet Sebastianus Ligodentinus Waldseensis Canonicus Regularis in *Cælo stellato littera H.* Hujus tamen operis nihil amplius apud nos extat. Invidia temporum fors nobis illud oculis nostris fuit subductum. Hoc unum in veteri Præpositorum Catalogo adhuc memoratur, Henricum ultra annum vix præfuisse. Fuit itaque diuturnioris famæ, quam Regiminis aut ætatis. Dubium movere nemo debet, quod Draudius scriptorem appellet duntaxat *Ulmensem Præpositum*. Id enim facile solvitur, quod status Ecclesiasticus Ulmensis nullo unquam alios habuerit, quam *Wengenses* inter primarios enim Sacerdotēs in civitate duo tantum erant prærogativa honoris præ cæteris conspicui, Primus urbis primarius Pastor, qui in antiquis scripturis semper *Plebanus* aut *Rector Parochialis*



chialis Ecclesie audit; alter in Ptochotrophio civitatis spirituales animarum præfecturam habuit, nunquam autem Præpositi sed duntaxat Hospitalarii honorabatur titulo, quod nomen in sequentibus paginis frequentius redibit. Certe qui tricas hac in re, omnino nobis certa, movere vellet, etiam negare deberet Conradum nostrum Concilio Basileensi interfuisse, cum etiam hos inter Patres sub alio non veniat, quam sub Præpositi Ulmenfis nomine. Nemo itaque hic in scirpo nondum quærat.

Floruit illius ævo, ac simul misere periit Petrus de Vineis Italus, patria Capuanus. Fridericus secundus Imperator eo Cancellario electo in gravissimis rebus ejus operatus, eique muneri dum præfuit, VI. libros Epistolarum ex Imperatoris sui Persona conscripsit, multijuga rerum sacrarum & profanarum ejus ævi historia repletos, & e tenebris primo erutos Simon Schardius Basiliæ 1566. publicavit Hosce VI. libros Manuscriptos conservat Bibliotheca nostra, probe utique custodiendos. Cæterum Petrus iste ob prodicionem in Cæsarem, quem veneno enecare intenderat, comprehensus & oculorum effusione multatus in S. Miniati arcivitæ miserrimæ impatiens, mortemque sibi metipsum inferens tristissimum vitæ exitum anno 1249. sortitus est, iusto Dei judicio, cum contra Romanam Ecclesiam stolidus - cæcusque mente diu multumque latraverit. Vid. Lexicon Erudit. Amorti Basin Hist. P. 4. p. 230.

## §. III.

## De Orhone VII. &amp; Consecratione novi Monasterii in Insulis.

Otho ex Prænobili familia Arlabusorum sive Arlapuziorum, quæ fratre fabro Felice teste, ut videre est in ipsius Evagatorio pag. 110. quondam Ulmæ floruit, oriundus, propterea etiam a Bruschio *Arelopusig* dictus. defuncto Henrico, dignitate Præpositi auctus est anno Domini 1250. Septimus in Ordine, Numero Quintus in Insulis. Egregiis virtutibus ornatus Præsul, cujus Beati fuerunt oculi, quod primus in sua perfectione in cordis sui læticia viderit feliciter e fundamentis tandem erectum Wengense Cœnobium in fortunatis nostris Insulis extruulmenses muros. Imo non vidit tantum noviter constructum Canoniorum nostrorum Cœnobium, sed & cum Magnifica sua Ecclesia omnium solennitate consecratum. Consecratio facta est a Venerabili Sibothone Augustensis Ecclesie Episcopo, qui crebro in Insulis nostris solebat divertere, plurimumque æstimationis de Oitone nostro ejusque Fratribus Canonicis habuit. In præsentia Witigogi Sibothonis fratris nostri Fundatoris Illustrissimo filio ac Canonice nostræ Advocato. Sic enim habet antiquum documentum veteris nostri Chartularii hisce verbis: *Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo consecratum est Monasterium Idem (in Insulis) & altare publicum a Venerabili Sibothone Augustensis Ecclesie Episcopo consentiente Eberhardo Constantiensi Episcopo & sub Othone tunc temporis Præposito Septimo, & sub Witigogo tunc temporis advocato filio Sibothonis fratris Fundatoris nostri, Comitæ de Albeck in honorem beatissimæ V. Mariæ, præcipue autem in honorem S. Michaelis Archangeli & omnium Angelorum, hæc autem fuerunt in eo reclusæ reliquiæ: De Præsepio Domini, de Calvarie loco, de ligno in quo S. Crux posita fuit, de loco Nativitatis Domini. De Cunabulis Domini, de sepulchro S. Mariæ. De veste S. Mariæ, S. Joannis Baptistæ Præcursoris Domini S. Apostolorum Bartholomæi, & Thomæ Apostoli, de Alba S. Joannis Evangelistæ. Sanctorum Martyrum, Laurentii Martyris ducentæ duæ partes, Georgii Martyris, Viti Martyris & Sebastiani Mm. Mauritiæ Martyris. Exuperii comilitonis, S. Mauritiæ Ursi Martyris. Prothi & Hyacinthi Mm. Pancratii Martyris, Colomanni Martyris, Sanctorum Confessorum Sylvestri Papæ, Leonardi Confessoris, Marini Confessoris, Dionisi Episcopi Avunculi sanctæ Afræ, Pharonis Episcopi Meltenfis, Antonii heremite & Confessoris, S. Martini Episcopi. sanctarum Virginum Julianæ Virginis, Mariæ Magdalene, Dignæ puellæ S. Afræ undecim Millium Virginum.*

Post Consecrationem Ecclesie propriæ & Monasterii, memor beneficiorum a sancto Michaeli Archangelo in Monte acceptorum Capellam illius in eodem monte sitam & præ vetustate fatiscentem ruinæque proximam pristino nitore restituit & dejectis muris ex integro reædificavit, quam humillimis precibus interpellatus idem Sibotto Episcopus Augustanus, consecravit anno 1252. teste denuo veteri manuscripto de altaribus supra citato in quo hæc legimus: *Anno Domini millesimo ducentesimo*

*Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera.*

K k k k

quin-



quingagesimo secundo consecrata est Capella in monte S. Michaelis a Venerabili Sibothone Episcopo Ecclesie Augustensis, Indictione undecima in honorem B. M. Virginis, S. Michaelis, S. Joannis Evangelistae, S. Viti Martyris praecipue vero in honorem S. Michaelis & S. Viti.

Post haec iterum fit reconditarum reliquiarum commemoratio, inter quas etiam nominantur particulae de virga Joseph & fructu ejus. Quid de hac virga sentiant Catholici Critici, ac cujus Auctoritatis sit Evangelium de Nativitate Mariae, in quo solo haec virga crevit, videri poterit apud Baronium in apparatu §: 54. de hac re etiam agit Stephanus Lemonius in Notis ad varia sacra pag. 590. Sandinus in historia familiae sacrae pag. 421. & plures alii. Mei fori non est de hac re agere fufus. De caeteris Reliquiis pariter fileo, ne molestus sim illarum recensione Lectoribus. Sed descendamus iterum de Monte ad Insulas. Otto noster consecrato insulari Caenobio ejusque Ecclesia, de gloria Dei ac Sanctorum amplificanda semper sollicitus templum duplici novo altari ornaverat circa annum Domini 1263. Oportune autem accidit, ut hoc ipso anno Ottonem nostrum inviseret Venerabilis Bruno Prixinensis Episcopus: fuit ille ex Comitibus Kirchbergenfibus Wiblingan asceterii Fundatoribus: qui rogatus consecrandi gemini altaris provinciam lubens in se suscepit. Posterorum memoriae beneficium hoc sequenti Notula commendatur: Anno ab Incarnatione Domini Millesimo sexagesimo tertio, Indictione septima consecratum est altare ante Chorum a Venerabili Brunone Prixinensi Episcopo in honorem victoriosissimae S. Crucis, & in honorem B. Mariae Virginis & S. Augustini Episcopi, sanctorumque Martyrum Felicis & Regulae, continentur autem reliquiae in eodem altari &c. Sequitur magnus iterum Reliquiarum Catalogus. Hujus altaris indulgentiae erant quadraginta dierum criminalium & centum venialium in perpetuum valiturae.

Altare alterum excitaverat Otto in honorem S. Stephani ac aliorum Sanctorum, de quo pauciter nostrum chartularium: Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tertio Indictione septima consecratum est altare in sinistro latere chori a Venerabili Brunone Brixinensi Episcopo in honorem S. Stephani Protomartyris & S. Martini & S. Udalrici Episcoporum. Inter reconditas reliquias nominantur etiam fructum de lapide cum quo lapidatus est Stephanus. Pares hebuit hoc altare cum priori Indulgentias.

Hujus Praepositi pietati ac liberalitati etiam majus altare foundationem suam debet in templo nostro Parochiali in Hervelsingen a supra laudato Venerabili Sibothone anno 1253. Nono Kalend. Octobr. consecratum, cujus tamen post mutatam religionem nullum amplius habetur vestigium. Inter reliquias sub hoc altari repositas denuo nominantur particulae de virga S. Joseph & fructu ejus. Merito, cum Venerabilis Sibothonis Augustensis Episcopi toties recurrat Nomen, gratitudinis erga nonnulla commemoranda haec veniunt, fuit hic Sibotho ex Baroibus de Gundelzingen ortus, Summae integritatis Episcopus, & animarum Pastor prorsus egregius, magnisque laudibus a variis scriptoribus celebratus, quem etiam ob Plurima beneficia inter insigniores Collegii nostri benefactores jure numeramus. Laudes ejus in compendio refert P. Chrysothomus Henricquez in Menologio Cisterciensi 26. Augusti, ubi ita scribit: Augustae Vindelicorum Beatus Sibothus Episcopus qui postquam per aliquot annos Christi oves caelestis sapientiae verbis, & sanctae vitae Exemplis, ut verus Pastor pavisset, ut Deo & sibi vacaret, ex potentissimo Principe, & magno urbis Antistite humilis Monachus in Caesariensi Caenobio effectus est, ubi in magna pietate vitam finivit. Emigravit non sine magna Sanctitatis opinione mortalibus relicta ad immortalem vitam, juxta Caroli Stengelii Abbatis Benedictini calculum Rer. Aug. P. II. c. 42. anno MCCLXII. decimo quinto Augusti. Ex frequentiori ejus in Insulis nostris praesentia, Sanctitatis fama, collatisque tot beneficiis, satis, ni fallor, desumi potest conversationem Ottonis suorumque Religiosorum Confratrum Sibothoni fuisse admodum approbatam, acceptamque. Quo simul confirmatur antiqui nostri Scriptoris testimonium necrologio nostro antiquo inscriptum, dum ait: Praecessores nostri antequam in sui dispersionem stebilem & miserandam devenerunt strictissimam (ut aliorum relatu, inquit, cognovimus.) vitam duxerunt, ac suere totius Religionis viri, & summae disciplinae lucentia Exemplaria, magna ac multa bona fecerunt. Mortalitem optimus Praesul Otto exiit anno circiter 1270.



## PERIODUS I.

## CAPUT IV.

De Martino VIII. & Fundatione Capellæ S. Jacobi in foro  
Civitatis Ulmenfis.

## §. I.

Martini electio ejusque mores-

**O**ttone Præposito VII. in Insulis Mortalium oculis subducto unanimi Eligentium calculo Præposituræ claves delatæ sunt Martino, viro maturæ indolis, magnæ virtutis & in Religionem cononicam ardentis affectus. Elegancia morum lucratus est varios benefactores. Electio illius incidit in annum Domini 1270. Moderabatur eo anno Augiensis Ecclesiæ celeberrimam Abbatiam Albertus a Ramstein, cnjus familia avo suo arcem Zwingensem haud procul Basilea distantem incoluit, quæ post obitum illius devoluta est ad Episcopum Basileensem. Albertus prius Monachum induerat in Sangallensi Cœnobio, indetamen ob virtutum splendorem extractus in Decanum Capituli Constantiensis anno 1262, fuit electus. Ex Decano Abbas Augiæ Divitis effectus plerumque habitavit in arce Sandeckiana, attestante Bruschio. Hic Albertus Electioni Martini nostri subscripsit, illamque more consueto ratihabuit & confirmavit. Hujus Præpositi tempore accessit nostro Collegio in Insulis Capella S. Jacobi in foro Ulmenfi extructa, & egregie dotata, cum Jure Patronatus. Fundator hujus Capellæ fuit Dietericus Rægilinus Ulmenfis, vir probus & honorabilis in omnibus, de optimis, Nobilissimis, ac ditissimis hujus civitatis civibus, ut patet ex sequenti publico documento.

Vniversis Christi fidelibus præsentium Inspectoribus ac Auditoribus litteratis ac illiteratis, Otto civium Magister, Consules & universi cives in Ulma salutem in omnium salvatore, cum noticia subscriptorum. Quæ aguntur in tempore, ne labantur cum tempore, & ne imposterum aliqua lis, vel calumnia factis & dictis possit suboriri, consuevit modernorum studiosa sagacitas, facta & dicta sua scripturarum memoriis æternare. Noscant ergo omnes tam præsentibus quam futuri, quod vir probus, & honorabilis in omnibus civis nostræ civitatis quondam progenitus & optimis Nobilissimis ac ditissimis civibus nostræ civitatis construxit domum lapideam secus forum nostræ civitatis, qui vocabatur Dominus Dietericus cognomine Rægilinus. Qui postmodum per tempus aliquot instinctu S. Spiritus, ac suasionem Omnipotentis eandem lapideam domum in Capellam in honorem & in titulum S. Jacobi Majoris Apostoli procuravit per Reverendissimum Constantiensis Ecclesiæ quondam Episcopum solemniter consecrari. Omni jure nostræ Parochialis Ecclesiæ & nostræ civitatis, juxta consuetudinem & justitiam terræ salvo, & remedium animæ suæ, ac omnium charorum suorum constituendo ordinando & instituendo, ut Senior suæ parentelæ debeat esse Advocatus illius Capellæ & conferre Jus Patronatus illius Capellæ omni contradictione cessante. Vt autem præmissis veritas pliiissima suffragetur, præsentem litteram fecimus in testimonium præmissorum conscribi, quam veritatem testibus idoneis ac munimine Sigilli nostræ civitatis duximus ac decernimus comprobando confirmare. Ne imposterum aliqua lites dissensio possit generari ex oblivione, quæ bonæ memoriæ novercatur. Sunt autem hujus facti testes, Otto civium Magister, W. Monachus. Vlricus Scriba, Vlricus & Crafftio filii sui. M. Vamago. Otto Rufus. C. Jagiman Vlricus Swërllich. H. Schapen, Joannes Senior. Joannes Junior. G. Frigulus. Vlricus Coprellus. B. Irigolf. Bonus Waltherg, & universitas nostræ civitatis. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini Millesimo CCLXXI. Indictione XV. feliciter Amen.



## §. II.

## De Jure Patronatus Capellæ S. Jacobi in Controversiam ducto pro se obtinet victoriam.

**A**nno Regiminis sui secundo scilicet 1272. mota ipsi est Controversia circa Jus Patronatus, prædictæ Capellæ S. Jacobi. Jus hoc reddere dubium tentabat quidam Vlricus Ulmenfis Clericus Domini Krüzikon nobilis Filius. Re ad Episcopum Constantiensem delata, adjudicatum Martino fuit prædictum jus & adversæ parti, quæ omnino coram competente Judice comparere non est ausa, perpetuum impositum silentium. Res hæc acta fuit & dijudicata ab ipsomet Eberhardo Constantiensi Episcopo in ipso castro Gottlieben quod ipsemet de novo fundaverat & ærexit, in quo frequentissime habitare solebat. In hoc castro bonitati causæ suæ confusus ipsemet Martinus Episcopum accessit ad litis decisionem audiendam. En decisivam illius sententiam.

In Nomine Domini Amen. ¶ E. Dei gratia Constantiensis Episcopus omnibus Christi fidelibus Præsentium Inspectoribus salutem, & subscriptorum fidem adhibere. Noverint universi, quos nosse fuerit opportunum, quod lite legitime contestata in causa quæ inter dilectos in Christo Præpositum & Conventum S. Michaelis apud Ulmam in Insula ex una, & Vlricum Clericum filium D. Krüzikon, militis vertitur super Jure Patronatus Capellæ S. Jacobi in foro Vlmenfi ex parte altera receptisque testibus & attestacionibus publicatis, quarum copia facta fuit partibus & terminus scilicet feria quinta post Octavam Paschæ ad dicendum in testes & in dicta in quo termino dictus Vlricus non comparuit, nec pro se misit, dicto Præposito pro se & suo Conventu coram nobis personaliter comparente, Nos ejusdem Vlrici absentiam, divina replentes præsentia, inspectis attestacionibus diligenter, quia invenimus eosdem Præpositum & Conventum intentionem suam plenius probavisse, habito Jurisperitorum Consilio, Jurisque ordine in omnibus observato ipsis Præposito & Conventui Jus Patronatus præfatæ Capellæ præsentibus in Domino adjudicamus, parti adversæ super ipso Jure Patronatus perpetuum silentium imponentes. Data Gottliebæ Anno Domini M. CCLXX, secundo die prædictæ continuata in crastinum.

## §. III.

## Donatur Martino Curia in Jungingen.

**A**nno Incarnationis Dominicæ 1284 cum Martinus in Festo Annuntiationis B. Virginis in Capella S. Jacobi divinum officium devote perageret, e sacello egressus invenit Joannem Magistri Sibotonis Beatæ memoriæ dicti Strang filium, adhuc cœlibem magnæque pietatis Virum, & bonorum suorum Dominum, qui meliora charismata æmulaturus dudum secum cogitaverat de oblatione quadam Deo faciendâ. Hanc tandem ut exequeretur plurium testium corona cinctus Martino ejusque Conventui in Insulis juxta dispositionem & ordinationem Progenitoris sui defuncti curiam quamdam in Jungingen in Dei honorem & animæ suæ remedium publice donavit, ac sequentem scripturam debita solennitate munitam ante Capellam S. Jacobi in foro Vlmenfi publico obtulit.


In Nomine Domini Amen. Noverint universi tam præsentibus quam futuri, quod ego Joannes filius Magistri Sibotonis beatæ memoriæ dicti Strang . . . profiteor & libera voluntate protestor per præsentibus Curiam in Jungingen, quam nunc Nomine culturæ inhabitat vulgariter dictus Mager Appin sun, quam pater meus pie memoriæ præfatus jure proprio & nomine veri & recti prædii comparavit pro Ottone Ruffo dicto juniore cive in Ulma pie donatam esse in remedium animæ suæ honorabilibus in Christo Præposito & Conventui Insulæ S. Michaelis apud Ulmam hac videlicet conditione interjecta, quod ego fructus dictæ curiæ recipere debeo usque ad obitum meum, vel saltem Domino inspirante me transfero ad vitam alicujus Religionis sive habitus, ex tunc dicta curia liberè ceditur & relinquatur honorabilibus in Christo Præposito & Conventui prædicto, quietè ac pacifice de cætero possidenda.

Ne



Ne autem ipsis vel Monasterio suo in Prædicta donatione ob reverentiam animæ pietatis, & in honore S. Michaelis per meum Patrem & meum consensum nunc subsecutum facta præjudicium impostero aliquatenus possit generari, annuo pro censu libram ceræ, sicut disposuit & ordinavit Pater meus bonæ memoriæ sæpeditus, honorabilibus in Christo Præposito & Conventui antedictis usque ad jobitum meum, aut alicujus ordinis ingressum, ut prædictum est, annis singulis dare teneor, & omni contradictione remota, in signum puræ donationis volo esse præsentibus obligatus. In cujus rei evidens testimonium præsentibus scribi volui, & Sigillo Universitatis civium in Ulma veraciter communiri. Hujus etiam rei testes sunt. Dominus Cunradus Viceplebanus in Ulma dictus Stamiller, Dominus H. dictus Latrator. Dominus Abl: Sacerdotes socii sui, & W. Scholaris suus. Dominus H. dictus Wazelin Sacerdos & H. pater suus. Dominus O. dictus Rufus. C. dictus figulus Diepoldus dictus Triegolf. H. de Tuessenbach cives Ulmenfes. Villicus dictus Magister de Jungingen & Viricus Notarius Humilis Ulmæ civitatis & B. Villicus de Hagen & Rudolphus filius suus & alii quam plures. Acta sunt hæc anno Domini M. CC. LXXXIV. in annuntiatione B. V. Mariæ ante Capellam S. Jacobi in Ulma.

De reliquis hujus Præpositi Actis plura in tabulas relata non invenio, nisi hoc, quod scilicet anno 1280. Henrici Marchionis Burgoviensis uxorem N. Comitissam a Kazenelenbogen, quæ hoc anno Ulmæ graviter decumbens extremum diem piissime in Domino obiit solennitatibus in funere Nobilium consuetis tumulo intulerit in Insulari nostra extra civitatem Ecclesia. Hujus filia Adelhaidis nupsit Rudolpho Comitæ de Werdenberg comitatus Albeckhensis Possessori, cujus nomen inter Insigniores Benefactores nostros legitur. Exuvia vero corporis illius pariter in Ecclesia Wengensi anno 1343. fuere reconditæ. Legimus & hoc de Martino, quod locaverit quosdam Monasterii agros sub perpetuo censu den Seybosden. dies, quo ad cœlestia Præmia capeffenda ex hac lachrimarum valle avolavit, fuit dies sancto Ignatio Martyri sacra. Annus vero non adeo certus est. Aliqui annum 1288., alii 1290. nominant. Sed nec mihi argumenta adsunt ulla tollendi hoc dubium.



## PERIODUS I.

### CAPUT V.

#### De Conrado hujus Nominis Primo,

##### §. I.

#### Conradi Electio, Adversa, & Benefactores.

**C**onradus hujus Nominis Primus ab initio Foundationis nonus ac in Insulis Septimus nulli pietate Secundus rebus strenue ac pie gestis secutus est Martinum circa annum Domini 1288. Expertus est statim ab initio religiosæ gubernationis suæ, quam verum sit illud: *Qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur.* Plures certe & virtutum suarum, & Confratrum suorum, ac Jurium Monasterii Persecutores & adversarios sustinuit. Inter præcipuos Impugnatores Possessionum ac Jurium Monasterii fuerat quidam dictus Bronerus Pistator de Erbach, qui diuturnam litem Conrado movit, quæ sumptibus non levibus usque ad annum 1299. ipsi steterat, quæ tamen sese pro Conrado interponentibus Egone Comite de Berge, & Burckardo Bietsgraf, Vdalrico juniore de Sulchin, Henrico Nufskunic; Conrado Wetzel de Rieden N. Domelin, Conrado juniore Jezelter de Ulma feliciter est composita. De cætero inter plures persecutiones Conrado etiam non defuit in solatium cœlestis Benedictio, quam illi affuderat Conradus Stamler (Nobilis familiæ Stamlerorum in Ulma furculus) Presbyter & Rector Bollinganae Ecclesiæ. Qui cum sæpius in Wengensi Insula Conradum suosque Confratres inviseret, ac constanti hospitalitatis & charitatis cultu ac obsequio exciperetur, sequenti donatione animum suum gratitudinis memorem ostendit. Chartæ tenor hic est.

Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera.

L 111

In



In nomine Domini Amen. Præsentium litterarum Inspectoribus universis Conradus dictus Stamler, Rector Ecclesiæ in Bollingen rei gestæ notitiam cum salute. His scriptis tanquam in Jure confessus publice recognosco, & cunctis facio notorium fide dignis, quo honorabiles in Christo Præpositus ac conventus cœnobii sancti Michaelis in Insula apud Ulmam Ordinis sancti Augustini Constantiensis Diœcesis me prosequi charitatis adminiculo, ac dono dilectionis specialissimo, jam ex multo tempore nullatenus vacillarunt, eisdem videlicet Præposito ac Conventui, nec non ipsorum Monasterio prænarato, Jus Patronatus prædictæ Ecclesiæ in Bollingen cum omnibus eidem intus & extra pertinentibus, quod quidem jus quondam meis Progenitoribus & mihi, quippe omni jure ex nunc, prout & ipsis extunc, una & jus Advocatiæ, quod mihi ex meorum Progenitorum germine in dicta villa Bollingen competere dignoscitur, pleno jure, pure donavi, ac libere propter Deum. Verum quia dicta donatio aliquorum insultibus seu exactionibus indebitis, & consuetis posset per tempus subsequens irritari, sæpeditis, videlicet Præposito ac Conventui Monasterii prænotati: pro investigatione tam Juris Patronatus, quam etiam Advocatiæ possessoria ac firmiori de curia dotis Ecclesiæ in Bollingen tria Imina avenæ, ac duos Pullos pro censu annuo ac pro jure advocatiæ constitui, ac teneor, tempore quoad vixero elargiri. Inducens ipsos. scilicet Præpositum, ac Conventum, nec non eorum Monasterium per hujusmodi census, seu juris advocatiæ largitionem in possessionem prædictorum jurium corporalem. Renuntio igitur pro me meisque hæredibus universis omni actioni, impetitioni. exceptioni, omni consuetudini. tam loci, quam Patriæ, omni juri tam Canonico quam Civili, & generaliter omnibus per quæ ea, quæ promissa sunt, vel aliquid ex eis posset impofterum quovis ingenio violari. Adhibitis nihilominus pro me in præmissis verborum ac gestuum solennitatibus debitis ac consuetis. Hujus donationis testes sunt Wernherus dictus Gromervonne, Ulricus dictus Swerlich junior, Consules jurati in Ulma, Bercholdus & Conradus fratres dicti Schefoldt Hainricus dictus Besserer, Wernherus græcus, Conradus Phuler, Otto Pannicifex, Conradus Hudenherim, Hainricus dictus Fuerer, Conradus Kaltisen de Bollingen Conradus dictus Hagen, Conradus cœcus & alii quam plurimi fide digni, sane in omnium præmissarum evidentiam præsentis conscribi ac sigillis, meis scilicet, & honoratorum virorum commendatoris ac Conventus Domus Theuthonicorum prope Ulmam, nec non Leoboldi Decani de Herningen placuit roborari. Actum & datum in Insula apud Ulmam Anno Domini MCCXCVI. XV. Kal. Julii

Præter Ecclesiam in Bollingen cum dote & Jure Patronatus a Conrado Stamlerio nobis donatum etiam legimus molendinum in Bollingen situm, sed jam nec ista Ecclesia, nec molendinum in Bollingen situm, sed jam nec ista Ecclesia, nec molendinum, nec Jus Patronatus intra modernas possessiones nostras legimus. Quo omnia hæc devenerint, & quo titulo alieni Posterius illa nunc possideant ob documentorum jacturam nescimus. Superest tamen adhuc confirmatio hujus Stamlerianæ donationis ab Henrico Episcopo Constantiensis facta, ac in ejus absentia per Magistrum Waltherum Scholasticum, & Conradum Pfefferhard Canonicos Constantiensis anno 1297. Idibus Februarii, cui subscriptum est donationem hanc factam esse sub Conrado Præposito nono.

Anno 1309. Lindavientium Canonissarum Collegium partem decimarum in Offenhausen aliaque bona, Ulmæ adjacentia nobis donarunt, quibus Deo miserante adhuc fruimur, facta fuit hæc donatio per Guttam Abbatisfam magnarum virtutum sæminam consentiente toto ( ut donationis loquuntur litteræ ) Conventu.

## §. II.

Conradus se gratum Deo exhibet erecto Altari sanctissimorum quinque Vulnerum Jesu Christi.

Cum res œconomica apertis incrementis non tantum ex majoribus, sed etiam minoribus donationibus augetur, ut suam Præsul noster erga Deum gratitudinem demonstraret, Christi patientis lapidea statua Ecclesiam Wengensem ornavit, utque populum ad majorem devotionem accenderet, altare novum adjecit in honorem quinque Vulnerum & Passionis Dominicæ. Facta fuit illius Dedicatio-



Dedicatio anno 1312. cujus rei fidem præbet sequens vetusti Codicis annotatio: Anno ab Incarnatione Domini millesimo trecentesimo duodecimo in Vigilia S. Michaelis consecratum est Altare juxta statuam lapideam in honorem quinque Vulnerum Christi & ejus Passionis, in quo hæc Reliquiæ sunt reconditæ: de oleo S. Catharinæ, de S. Elisabeth, de ligno Domini, de Sepulchro Domini, Georgii Martyris, Otiliæ Virginis, Nicolai Episcopi, Viti Martyris, Egidii Confessoris, de digito S. Panthaleonis Martyris, Eucharidi vel Erhardi Episcopi, Annæ Matris Mariæ, Apostolorum Petri & Pauli, Jacobi Minoris, Thomæ & Bartholomæi, & Joannis & aliorum Sanctorum, Jacobi Majoris Joannis Evangelistæ, Stephani Protomartyris &c. & consecratum est idem altare a Venerabili Domino Sengallensis Ecclesiæ Episcopo, qui contulit omnibus Christi fidelibus vere penitentibus, & contritis prædictum Altare in honorem quinque Vulnerum Christi quotidie colentibus & visitantibus quadraginta dies Indulgentiam criminalium peccatorum cotidie. Dedicatio hujus Altaris Dominica proxima post Festum S. Michaelis.

Hæc erga sacratissima quinque Domini nostri Jesu Christi Vulnere Pietas a Conrado cæpta, etiam ad posteros suos, & usque ad moderna tempora transiit. Quam egregie suscitavit Anno 1709. Reverendissimus Dominus Prælati ac Abbas Augustinus Erath ab Eratsberg fundata in honorem quinque Vulnerum Jesu Christi inter Catholicos Ulmenses speciali confraternitate, specialibus Privilegiis a Sedè Apostolica in perpetuum munita.

### §. III.

Extinctam luget Illustrissimorum Comitum de Albeck familiam ac Tumulo infert exuvias Henrici ultimi Marchionis Burgoviensis.

Circa Sæculi decimi tertii postremos annos ingenti cum luctu regnantis Conradi mortalitatem exiit Witigogus Sibothonis Filius, ac in nostra wengensî Basilica honorifico funeris ritu, ac totos Orphanorum Canonorum choro, sinceris lachrymis eidem parentante, tumulo a se prius erecto illatus fuit in Dominicæ Annuntiationis vigilia. Quocum simul tota Illustrissima Comitum de Albeck Profapia extincta est. Fuerat hic Witigogus postremus Monasterii nostri Advocatus. Cum autem absque liberis & prole mascula destitutus terrena hæc deseruerit, totus Albeckensis Comitatus jure hæreditario devolutus est ad Illustrissimos Comites de Werdenberg, qui, quemadmodum omnium bonorum, quæ Fundatores nostri piissimi ipsis reliquerant, possessionem mox adiere. ita pariter horum liberalitatem ac pietatem æmulati nunquam cessarunt sese erga Wengensî Cœnobiî, Fundatoribus suis orbatî, Canonicos multis argumentis exhibere beneficos.

Scribunt nonnulli anno 1293. vel 1283. terrena hæc deseruisse Henricum quartum, Marchionem quintum Burgoviæ, qui inter Benefactores præcipuos Collegii nostri fuit, ac in Necrologio nomen piissimi Marchionis habet. Fuit ille Nepos Margarethæ Comitissæ de Albeck. De hoc Henrico ita habet: *Descriptio Comitum & Marchionum Burgoviæ* apud nos adhuc M.S. perseverans: Henricus quartus Comes Burgoviæ Vigessimus quartus, Marchio quintus, Filius prioris (Henrici tertii ex præfata Comitissa Albeckensi progenitus) *probissimus vocatus*, inter Benefactores præcipuos Wengensî ad S. Michaelem Cœnobiî Ulmæ. Progenit filium Henricum quintum, qui filius anno Christi 1304. extinctus legitur. Numerantur & filia, priorem Lazius circa annum 1330. Comiti a Lewenstein nupsisse scribit, alteram N. in Söfflingen Benefactricem quiescere tradit. Lego vicissim de alio Henrici quarti filio Alberto, sed & hunc Cœlibem vita functum. porro *Henricum hunc probissimum* multa claritudine ac dignitate apud Romani Imperii Reges, Imperii Principes, & Ordines, inque Conventibus Imperialibus, ut scripta Monumenta, Diplomata indicant, egisse, certum est. Cæterum ut erat Insigni pietate præditus, spontanea renuntiatione ob amissum charissimum filium unicum, masculini sexus Hæredem, Senii incommoditatem, & Regiminis tædium, rerum humanarum curis, quietis & tranquillitatis amore, sponte sese abdicavit anno 1301. die D. Dionysio sacra Augustæ Vindelicorum, quo Rudolphus Fridericus Leopoldus, Albertus, Heinticus, Mainhardus fratres, Austriæ Duces, Alberti primi Imperatoris filii ab Henrico Comite de Wildenau Abbate Fuldensî feudorum seu libertatum novæ acquisitionis monumenta receperunt. Sicque Burgovica ornamenta hæreditaria ad Austriacos devoluta, plerumque per Præfectos ea occasio-



caſione ceu feudum Imperiale gubernata fuiſſe historiſi paſſim tradunt. Obiit Heinricus ſecundum Chronicum anno MCCCXIV. quod verofimilius eſt, quam quod alii ſcribunt, illum anno 1283. vel anno 1293. fatiſ concediſſe. Hucusque cit. M. S. Imperiale Collegium Wettenhufanum hujus Marchionis exuvias, referente Bruſchio habere dicitur. Verum nullo idoneo argumento hunc honorem Inſulis noſtris ereptum it Bruſchius; manifeſte enim Necrologium noſtrum antiquiſſimum Henricum hunc illis Nobilibus accenſet, qui apud nos ſepulti ſunt ad Decimum quartum Aprilis. Nihil omnino probat tabulæ olim in Eccleſia Wettenhufana ſuſpenſæ inſcriptio, in qua memoria recurrit hujus Marchionis hiſce verbis: *Herr Heinrich Margraff zu Burgau der leſte ſeines Geſchlechts obiit anno Domini MCCLXXXIII. an Aſſtermontag nach unſer liben Frauen Geburt.* Tota hæc inſcriptio, ut ex antecedentibus conſtat, vera non eſt, neque enim hoc anno obire potuit, qui anno 1294. adhuc ſubſcripſit litteris Donationis, quibus Conradus de Eberſtal Rudolpho Abbati Roggenburgenſi Advocatiam vendidit, in quibus teſtis tertius Henricus Marchio Burgoviienſis occurrit. Non potuit obiſſe præſato anno, qui ut ſupra dictum, anno primum MCCC. Regimine ſe abdicavit, Necrologium Gneringenſe pariter contradicit, quod præſato Marchioni annum obitus aſſignat milleſimum nonageſimum tertium hiſce verbis: *anno Domini Milleſimo Ducentiſimo nonageſimo tertio obiit Henricus antipius Marchio Burgoviæ.* Intelligi enim hæc debent de Henrico III. Quarti Marchionis Parente, Quod bona pace hic commemoraffe ſufficiat.

Anno 1288. terreſt. ia cum cæleſtibus commutavit Venerabilis Bruno Epicoſus Brixinenſis ex Comitibus Kirchbergenſibus ortus. Obiit in caſtro Kirchbergenſi, in celeberrimo autem Wiblingenſi Cænobio ſepeliri voluit, quod & factum. Is anno 1249. ad Epicoſpalis dignitatis faſtigium Brixinæ evectus gregem ſuum verbo & exemplo per annos 39. pavit ſumma ſollicitudine. Nobilitati generis coniunxit virtutum opulentiam; terrenas autem divitias humilis Epicoſus omnino contempſit, nullusque illi harum uſus fuerat jucundior, quam ſi earum maximam partem per ſuas in manus pauperum transferre poterat. Collegium noſtrum cordi ſibi fuiſſe variis Beneficiis oſtendit præſertim liberalem ſe Præpoſito noſtro Ottoni exhibuit, ac familiaritate illius multum delectabatur, cujus proinpiam memoriam gratæ poſteritati merito litteris commendarunt Antecellores noſtri. Annus poſtremus vitæ Conradi fuit 1312. Quo ad capeſſenda meritorum ſuorum præmia abiit.



## PERIODUS I.

### CAPUT VI.

Joannes I. Berchtoldus I. Trubelinus. Berchtoldus ſecunda Vice Præpoſitus. Conradus II.

#### §. I.

De Joanne I. & Reverſalibus litteris illi ſuppoſitis.

**J**oannes I. cognomine Straſs, ſive Strauſius (Struthionem enim ejusdem referunt Inſignia) religioſæ Præfecturæ onus in humeros ſuos ſuſcepit anno 1312. atteſtante Bruſchio, a quo non diſſentit Præpoſitorum noſtrorum Elenchus Iconibus pictis Ornatus hiſce verbis: *Joannes Straſſius iſterwehlt worden anno 1312.* qui annus etiam confirmatur ex veteri fragmento germanico Seriem Prælatorum noſtrorum in compendio referente. Numero Decimus fuit, qui confirmationis & inveſtituræ beneficium ab Augienſibus Abbatibus obtinuit. Diethelmus illo tempore pedum tenuit, qui inter Abbates Augiæ occurrit numero quadageſimus octavus cum ſequenti Elogio: *Diethelmus Baro de Caſtell, Illuſtris ac nobilis familia ſupra conſtantiam habitantis. Præſuit 34. aut ut alibi invenio 36. annis, non conventualis Augienſis, ſed Abbas ſancti Petri extra muros Conſtantienſes transpontem ſita, ubi cum ſumma laude præſuerat diu, varia ædificans, & præclare conſtruens. Reformavit iſte*



iste Cœnobitas Augiensis, quos vestem Benedictinæ Professionis aliquamdiu abjectam, & neglectam resumere iussit &c. Monachi tam diu in eum seditiosi erant, donec effecissent, ut Anno Domini 1320. ab Heinrico Fürstenbergensi Comite caperetur. Tandem liberatus non tam frequens in Augia divite, quam prius, sed plerumque Steckbornii habitabat in ædibus firma turre munitis, quas ipse sibi construxerat. Sub hoc Abbate incorporata est Ecclesia Ulmensis & Steckbornensis anno 1327. . . . Obiit Abbas iste anno Domini 1342.

Hic Joannes primum statim Regiminis sui annum, turpi, ac inexcusabili factō commaculasse dicitur. Exhibitæ enim aliquando sunt scriptæ tabulæ, sive Reverfales litteræ, quibus dignitatis suæ ac Jurium spiritualium prorsus oblitus se se cum consensu totius Capituli in dlyto Magistratui Ulmensi subjecisse prætendebatur, atque in fidem Canonico-Apostolici sui Ordinis & sacræ obedientiæ virtutem solennis Juramenti loco se obstrinxisse de non mutando Ordinis Canonici habitu absque Senatus approbatione, deque dissidiis, se inter ac Conventum semper ad ejusdem civitatis Magistros & Consules in posterum deferendis ac dijudicandis.

Quisquis autem serio, animoque a studio partium libero eas tabulas perpenderit, mox apud se iudicium feret, illas nunquam Joanni Præposito Ejusque Capitulo potuisse venire in mentem, aut si etiam venisset, nec ab initio, nec tractu temporis accepisse robur, ac etiamnum, insanabilis nullitatis morbo ægram decumbere. Nemo præterea sive mihi sive Posteris nostris persuadebit hujusmodi subjectionem a sapientissimo Magistratu, tunc temporis adhuc Catholicis sacris addicto; contra omnem Juris Ecclesiastici Praxin ac ordinem fuisse expetitam, præsertim sub conspectu Abbatum Augiæ Divitis, quorum consensu summopere hic fuisset opus, quique semper Juribus suis velut Argi Centoculi invigilabant, ac omnem in Witigovæos Canonicos auctoritatem ac Jurisdictionem spiritualem a primo fundati nostri Cœnobii tempore ex iusto titulo sibi reservatam non clanculum, sed publice nemineque unquam contradicente, exercebant. An hujus scripturæ notitia oculos illorum potuisset effugere? an potuissent illam absque debita reclamatione ceu innoxiam dimittere? Exempla non desunt, quod etiam ipsismet mitratis Capitibus ac Diocesis nostræ Episcopis restiterint in faciem; quando vel minimum quid tentabant in Antecessores nostros Præsules ac Monasterium, quod credebant Augiensibus juribus dversari. Taceo quod manifestæ suppositionis signum sit ipse annus, quo charta hæc prorsus inepta Magistratui tradita fuisse prætenditur, nempe annus 1311. quo tamen anno Præposituræ Wengensi in Insulis nondum Joannes erat admotus, sed primum anno insequenti 1312. De primo ad ultimum tota hæc scriptura otiosi capitis partus esse merito omnibus videbitur, quibus rem ad sinceram æquitatis trutinam, & præjudiciis liberam examinare placebit.

De ulterioribus Joannis nostri actis nil habeo, quod memorem, nisi hoc quod cum Colonis & Vinitoribus nostris in Eslingen ex parte Vinearum nostrarum anno Domini 1314. & 15. amicabilem compositionem inierit. Ad æthereas mansiones post sedecim regiminis annos transit ex misera hac lachrimarum Valle anno 1328. In die Julianæ Virginis.

## §. II.

### De Berchtholdo I. ab aliis omisso.

Falluntur Scriptores domestici, accum iis Bruschius, Crusius, Marchtalerus, Bucelinus & alii, qui Joanni I. viginti tres Regiminis annos tribuunt, eumque terris valedixisse scribunt anno 1335. Facile detegitur innoxius horum error, qui ex alio fonte non manavit, quam quod crediderint ob documentorum penuriam, Joanni immediate successisse Trubelinum. Mihi rem propius examinanti ex indubiis fundamentis Bertholdum hujus nominis Primum Joanni suffectum fuisse contendo. Nec dubito in meam sententiam facile ituros animi non præocupati Lectores. Fuerat hic Bertholdus Patria Augustanus, dignusque anno 1328. videbatur Confratribus suis, quem sibi post mortem Joannis cum Religioso Imperio Præposituræ in Insulis præficerent. Ad hanc dignitatem per vota canonicæ evectus ipsemet in Augia divite Abbatem Diethelmum litteris Capituli stipatus accessit, ac pro confirmatione supplicavit, quam etiam obtinuit. Evidens rei hujus testimonium suppeditat Abbatæ Augiensis M. S. Chronicum, ex quo sub fide religiosa meritissimus quondam hujus Atchicœnobii Prior, R. P. Maurus Hummel



mel, nunc piæ memoriæ, sequentia propria manu excerptit: *Anno Domini 1328.* (Abbas Augiensis) *Diethelmus in Insulis Ulmæ Bertholdum de Augusta confirmavit Præpositum in præsentia quorundam suorum Conventualium.* Hujus confirmationis Documentum publicum asservatur in civitatis Ulmenfis Archivo, ubi sequentia occurrunt:

*Anno 1328. hat bemeldt Abbt Diethelm den Probst bey den Wengen nicht zu Ulm, sondern in seinem Closter Reichenau confirmirt, um welche Confirmation das Convent schriftlich ersucht und gebetten, und anno 1337. den selben Probst Berthold genant wider abgesetzt, und ein ander per formam scrutini von Reichenau eingeführt den Wengen Conventualen fürgesetzt, welches dise dem Abbt mit disem Revers Brief bekennen, und sich ihm als Patri ac Domino Sedi Apostolicæ immediate subiecto cum obedientia tam d. bit. quam devota recommandieren &c.*

Hæc omnia Electionem Bertholdi anno 1328. factam extra omne dubium ponunt. Quod ulterius confirmatur ex Permutationis litteris prædii Edelschiesensis a Conrado Præposito Wettenhusano datis, quæ adhuc illæ existunt, quarum tenor est sequens:

Wir Chunrat von Gottes Verhencknus Brobst des Gotteshus ze Wettenhusen, und aller convent desselben Closters in Augspurger Bistum verichen offentlich und ainmüethlich an diesem Brief, vor allen die in sehend, oder hörent lesen. Das wir mit verdachten Mut und mit guter Betchatnusse und mit gemainem Raut in unserm Capitel und an den Steten, da wirs billich ze raut solten werden haben gethan einen rechten und redlichen Wechsel mit dem Ersamen und gaislichen Lüten Probst Bertholden und dem Convent sant Michels zen Wengen by Ulm, also das wir in haben gegeben unser Gut ze ædelschies mit allen den Rechten und darzu gehört, es si an holz an Veld an Wasen an Zwinbeschuchts und unbeschuchts, besetzend und entsetzend, und ein pfund bloser haller gelts, das ze Ulm in der stat gelegen ist, und hant sye uns darumb geben ir gut das si ze Diepach heten, das baste da buwet, auch mit allen den rechten und vor ist geschriben von unsern gut, mit der beschaidenhait, das weder wir noch kein unser nachkommen gen In noch gen kainen iren Nachkomen, umb das vorgeschribene gut und gelt kein ansprach haben, noch gewinnen sullen, noch enmügen, disse dinge sint gezügen der Ersam und gaislich Herr apt Chunrat ze Elchingen und Brobst Hainrich von ursperch. Jacob von Pfaffenhusen, Jose von Lietenow und Johans Bitterlin und andre erbarer lüte genug. der ze ainer Stat sicherhait der vorgeschribenen dinge geben wir Brobst Chunrat der vogenant von Wettenhusen, und der Convent, In und iren nachkomen disen Brief gevestent und versigelt, mit unseren und des Convents Infiglen, die daran offentlich hangent, das gesach und disse Brief wort gegeben ze Ulm, do man zalt nach Chrites geburt druzehen hundert iar, an sant Margareten abent.

Bertholdi hujus Nomen etiam occurrit eodem anno in charta, quam mihi chronicum Wettenhusanum suppeditat. Wier Berchtold von Gottes Verhencknus Brobst des gozhus sanct Michaelis in Wengen bi Ulm, und aller Convent des selben Klosters bekennen das mier ain Wexel droffen haben mit den gaislichen lüten Brobst Cunrad, und dem Convent zu Wettenhusen um ein guot Ottelschis, und ein pfund, in Ulm. testes Abbt Cunrad zu Elchingen Probst Heinrich von Ursperg Jos von Liechenau anno 1333.

Per novem duntaxat annos præfuit Bertholdus; an etiam profuerit, nescio? constat enim ex allegato supra documento, illum Auctoritate Diethelmi Abbatis Augiensis anno 1337. a Regimine, ex qua causa me latet, fuisse depositum.

### §. III.

#### Trubelinus Deposito Bertholdo præficitur.

Varie scribitur hujus Præpositi Nomen, qui apud Scriptores Numero undecimus appellatur. Nunc Trubelinus, nunc Truchliebus nunc Truchbelinus vocatur. Deposito Berchtoldo per viam scrutini in Præpositum electus mox a laudato iam sapius Abbate Augiensis Diethelmo confirmatus anno 1337. Quod testatur allegatum superius documentum, laudabiliter Provinciam suam administravit, cum probatus fuerit præfato Diethelmo, qui rigidus morum & meritum censor fuit. Anno 1341. permutavit prædiolum in Permeringen, loco cujus a Conrado de Stain de Klingenstein ipsi datum est prædium in Thimenhausen, Permutationis litteras huc pono.

Ich



Ich Chunrad von Stain von Klingenstein verkunde und vergich öffentlich an diesem Brief für mich und alle mein Erben, das ich geben han ein gütlein, das zu Thimmenhusen gelegen ist, und min aigen, was, den Erbaren Herren Herren Truchlieden Brobst des Closters in den Wengen by Ulme, und den Convent gemainlich deselben Closters und allen ihren Nachkommen, das Gütlein, das des Poppenlochers Kind da buwent, ze eim rechten aigen, und auch jährlich gillt zwai Immin Roggen, zwai Immin habern, finff Schilling haller, und ein frischling, und sollen sie des vorgehandt Gütlein haben und nüssen, besetzen, und entsetzen ze allem Recht, es sy an holz, an feld, an Wasen, an Zwie, untererde und obererde, besuchts und unbesuchts, und hand sie mir und miner erben darumb geben ein ander gütlein, des ze Burmaringen gelegen ist, zu aim rechten aigen, das Haintz Hummel und utz Rulin da bu wenn, und auch jährlich gillt vier Immi Roggen, und zwai Schilling Haller, und sien ich unnd mein Erben uff das vorgehandt gütlein, das wir da geben haben. den vorgehandten Herren, unnd ihren Nachkommen, recht geweren, für allen Krieg, irrsalung und ansprah gaitlich und Weltlich, nach dem rechten, und verziehen uns auch aller der recht, die wir daran je gewonnen, oder hettun. und ze besserer Sicherheit, han ich ihn zu mir und meinen Erben zu bürgen gesetzt, mün beede brüder Herren Wolffen, und Herren Hanfen Ritter, baide unvershaidentlich, mit der beschaidenhait, wann aber das oben geschriebengütlein von jemann irrig wurde, oder angesprochen, des sollen wir ihn versprechen, und ledig und lehr machen, vor allen gericht, wo sie es bedurffen, nach dem rechten ohn ihr schaden, thäten wir des nit, so hant sie gewalt, die burger darum ze machen, die sollen denn unverzogenlich zu Ulm laiften in ains Erbaren offen Wirthshauf, als lange bis in das wird uffgerichtet, darum sie die burgen genannt hant, wellen auch der burgen selb nicht laiften möcht oder wölt der hat gewalt ein erbaren Knecht mit eim pferdt an sin ställ gelegen in die laiflung in dem vorgenanten Recht, wellen auch den burgen anier abgienge, des gott behüt, soj sollen wir ihn ein andern als schidlichen burgen sezen in dem negsten monate darnach, oder der ander bürgen soll laiften in dem vorgeschriben recht, untz der beschicht. das des alles stet, und vor beliebe, das geb ich ihn diesen Brieff versiegelt, und gevestet mit mein aigen Insiegel, und mit der vorgenanten bürgen Insiglen, die alle öffentlich hieran hangent. Wir die die vorgeschriben bürgen vergehen die burgschafft unvershaidentlich. und alles das zuelaiften und wollen zu furen, ohne gefärde, was von uns hieran geschriben statt, und ze mehrerer sicherheit haben wir gehenket unser aigen Insigel an disen brieff der geben und an der nächsten mitwochen vor dem palmtag da von Christes geburt waren driuzehn hundert Jahr, und in dem ains und viezigsten Jahr.

Eodem anno Trubelinus certos agros, quædam prata & alios quosdam fundos Heinricho de Kirchberg locavit. Eiusdem ævo Sacellum S. Michaelis Archangeli in monte situm adhuc magna devotione ab Ulmensibus fuisse frequentatum legimus. Nec foundationes pie cessarunt anno enim 1338. legavit persona quædam pia pro Sacello hoc annuatim libram olei, ex domo & area sua in angusta platea (vulgo in der engen gassen) Ulmæ situata.

Bruschius ait Trubelinum sedisse per quinquennium: si verus est hic calculus decessit ex hac vita anno 1342. nihil tamen definire audeo.

#### §. IV.

#### Bertholdus II. alias I. Eiusque Exauthoratio & ad Præposituram Reditus

Bertholdi nomen post paucos annos iterum recurrit, nescio an secundi an Primi Romanum numerum eidem adscribam? Si Bruschio habenda fides; aditæ Prælaturæ annus fuit Millesimus trecentimus quadragesimus primus; si domesticis testimoniis pugnandum, illam primo adeptus est anno post millesimum trecentimum quadragesimo septimo. Hoc anno saltem jam Collegii Wengensis habenas eum rexisse exinde liquet, quia silvam nostram *der geer* prope Jungingen pro vitalitio locavit Conrado de lapide sive *von Stein* eodem anno. Cum de duplici Bertholdi Existencia hic agatur, necessarium duco Conradi de Lapide Reversales literas huc transcribere in quibus expressum legitur hujus Bertholdi nomen.



Ich Conradt von Stain urkundt und vergih offentlich mit disem Brieff fite mich, und für mein Erben vor allem dem, die ihn ansehent, lesent, oder hören lesen das die Erwürdigen herren, herr Berchtoldt Probst des gotteshus in den Wengen, und der Convent gemainlich deselben Closters einmütlich, und mit guter betrachtung, ze meinem einigen lyb durch Freindschafft und durch mine Furderung Willen hant geben, die Wil ich leb ihr holz das man nembt den Geer, als wyt daselb holz begriffen hat und nit für bas, mit so gethanem geding, und beschaidenhait, swen Ich Conradt von Stein der obgenant nit mer bin von todes wegen, so ist das vorgeschiben holz, mit grund und mit boden, und mit allen den rechten, und nutzen, das ich es zu han bracht, es sie an wismad, oder an äckern, oder welcherlay nutz das ist, damit es by meinen Zyten wird gebesert, dem obgenanten gottshuf in den Wengen ledig und los, allso das khein min Erbe weder dire noch der, wieer genant ist, nach meinem tode nichts daran hat zesprechent, noch damit zeschaffent, noch zethunt, wan das es schlechteglich dem egenanten gottshuf in den Wengen ist verfallen mit allen rechten und nutzen, als och voran disem brief geschriben, stat. und des alles ze einer besser sicherhait, das dis war, stat und gantz beilibe, gib Ich Chunradt der obgenant von Stein für mich und mein Erben Herren PERCHTOLDT dem Probst, und dem Convent gemainlich des vorgeschriben gottshuf in den Wengen disen brieff gefäset und besigelt mit meinem aigen Insigel und mit meiner lieben Oheim Insigel Otten des Rothen, und Krafften gefessen an dem Kornmarckht, die sie durch meiner bett willen ze einer waren gezygnus aller vorgeschriben sach gehenkht hant an disen brief der geben Wardt nach Christes geburt dryzehen hundert Jahr darnach in dem sibenden und vierzigsten Jahr an dem negsten Frytag vor unfer Erauen tag liechtmesse &c.

Ex hoc minime dubio documento aperte eruitur, Bertholdum iam anno 1347. Praefecturam sacram in Insulis tenuisse, mea tamen opinione primus Regimio illius annus fuit millesimus trecentessimus quadragesimus secundus, si Trubelinus pluribus annis non sedit ad clavum; quod Bruschijs affirmat. Omnibus rite perpensis suspensus adhuc haeo, an hic Bertholdus distinguatur a Bertholdo, qui Trubelinum antecessit. Quid? si postliminio iterato fuisset invito Augiensi Praefule iterum electus in Praepositum? Illum certe Augiensi Antistiti minus fuisse acceptam, gratumque, inde colligo, quod Canonice Wengensi sub hoc Bertholdo Auctoritate Eiusdem Augiensis Abbatis positus sit Praefectus, sive Administrator, & quidem Ordinis S. Benedicti Monachus ex celeberrimo Elchingensi Ascesterio Ulma haud procul distante, frater scilicet Conradus Klozerus, anno 1360. ob insignia merita teste Corbiniano Khamio in Hierarch. Eccl. Parte Regulari pag. 268. Abbatiali Insula in proprio suo Monasterio ornatus. Extra ordinaria haec status Collegii nostri mutatio totam viciniam admiratione implevit, multis dissidijs perpetuisque fere rixis obnoxia fuit, quae & pessimas sequelas post se traxit, quibus tandem succumbere debuit constantia Bertholdi, despotica Abbatis Eberhardi de Brandis auctoritate non sine ignominia anno 1353.

De Monasterio atque Insulis suis ad triennium proscripti, licet retenta adhuc pensione annua. Rediit Bertholdus exacto triennio ad Praeposituram suam non sine utilitate. Anno 1357. impetravit supplicibus litteris ab Henrico Episcopo Constantiensi Vidimationem litterarum foundationis nostrae, ut impofterum, sicut ipsa originalia, in iudicijs & extra fidem facere possent.

Per favorem Henrici de Werdenberg, qui prius Adversarius Bertholdi fuit, item ex liberalitate Comitis Wilhelmi de Kirchberg, & uxoris ejus Berchtae praefati Henrici Filiae varia possessiones pro fundato ab ipsis Anniversario Ecclesiae nostrae in Insulis obtigere anno 1360. aliquot scilicet praedia in Hervelsingen & Wittau. Locum tandem Successori suo reliquit circa annum 1367. aeternam beatitudinem adiens in caelo.

### §. V.

#### Conradus II. multis adversitatibus pressus Antistes.

Certum est, Conradum hujus nominis secundum, Insulis a prima fundatione Decimum tertium jam praefuisse Anno 1367. quo anno sententiam definitivam obtinuit in iudicio contra Henricum Pistatorem de Kirchberg. Hujus tempore Wiblinganum Coenobium querelas instituit apud Sedem Apostolicam, quod



ex bonis Monasterii plurima fuerint ob calamitatem temporum illicite alienata ac distracta, ac supplicavit Gregorio XI. Pontifici Romano, ut competenti remedio autoritate Apostolica huic malo dignaretur occurrere, ac providere, ne ulterius serperet. Annuit Supplicantium votis Romanus Præful Wiblingæ admodum favens, quique jam prius omnia Antecessorum ac hujus Asceterii Privilegia per speciale Breve Apostolicum confirmaverat, novas litteras per modum Brevis expeditas ad Præsulem nostrum Conradum direxit anno 1375. eique autoritate apostolica injunxit, ut injustos Bonorum Wiblingensium detentores ad restitutionem etiam per censuras Ecclesiasticas compelleret. Pontificiæ Commissionis formula hæc est.

## GREGORIUS XI.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei dilecto Filio Præposito Monasterii in Wengen, per Præpositum soliti gubernari, Constantiensis Diœcesis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Dilectorum Filiorum Abbatis & Conventus Monasterii in Wiblingen Ordinis S. Benedicti Constantiensis Diœcesis precibus inclinati præsentium tibi autoritate mandamus, quatenus ea, quæ de bonis ipsius Monasterii alienata inveneris illicite, vel distracta, ad jus & proprietatem ejusdem Monasterii legitime revocare procures. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione posthabita compescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura, simili appellatione cessante, compellas. veritati testimonium perhibere. Datum Avinionii Idibus Novembris, Pontificatus nostri anno quinto

(L.†.)

Quem effectum habuerit Apostolica hujus Commissionis executio, utriusque Monasterii, silet historia. Interim dum Conradus foris restitutionem bonorum distractorum pro commisso sibi munere urgebat; ipsemet tanquam bonorum sui Monasterii Dilapidator ac multorum criminum reus deferebatur ab adversariis ad forum minime competens, Episcopi scilicet Constantiensis Henrici, alias optime erga Viros Religiosos affecti. Licet Conradus ad comparendum sapius fuerit citatus, nunquam tamen citationi paruit, semper causatus, Exemptionem sui Monasterii id minime permittere & processum contra se institui in foro non competenti, nec obedientiam se præstare posse in præjudicium Abbatæ Augiæ Divitis, cujus ordinariæ jurisdictioni a primordiis foundationis subjaceret Insulare Monasterium. Rerum, quæ agerentur, minime inscius Augiensis Abbas. Eberhardus is erat ex nobilissima Liberosum Baronum de Brandis familia prognatus vir brevi quidem statura, ut loquitur Bruschius, animo vero nequaquam pusillo præditus, quam animi generositatem primis temporibus Electionis suæ mox ostendit. Frustra enim sese illi opposuit Diethelmus de Krenckingen; impetraverat enim iam Eberhardus tum prius Pontificiam consecrationem & confirmationem quam Cæsaris Caroli quarti investituram Regalium: ac etsi ipse ad Cæsarem non perveniret, ejus tamen Nomine juravit fidelitatem Udalrico Episcopo Constantiensi anno Domini 1349. Eberhardus iste Conrado nostro & auxilio, & Consilio semper præfens erat, hoc enim partium suarum, & Abbatialis muneris sui esse credidit. Interim erefcebat indies Adversariorum suorum numerus, & pessimis dictis flagellabant ejusdem famam. Contra Henricus Episcopus Constantiensis rem suam nec ipse segniter gessit, cumque vidisset constantem Præpositi nostri coram suo iudicio comparendi renitentiam; sola publica fama motus, quæquam fallax sit, nemo ignorat, severissimam inquisitionem contra Præpositum Wengensem instituit, omnibus Censuariis, Redituariis, Conservatoribus, Detentoribus frumentorum, aliorumque fructuum & reddituum Monasterii in Insulis mandavit, ut hujusmodi fructus, census & redditus Hermanno Kraftio Prænobili Ulmensis civitatis Patritio ejusque Ecclesiæ Rectori præsentarent in Contradictores vero & Rebelles, ac in ipsum Præpositum Excommunicationis sententiam fulminavit cum pluribus aggravationibus. Sed necdum satis interdicti etiam sententiam in loca, & Ecclesiarum Parochias, in quibus Conradus Præpositus moram traheret; ad quæ deveniret, & quamdiu in eisdem foret, & post ejus recessum ab inde per tres dies promulgari fecit, adiciens præterea, ut ne ullis crederetur absolutionis litteris, vel suspensionis sub quorumque tenore per Præpositum impetratis vel impetrandis, nisi pri-



us Ipse Præpositus mandatis suis efficaciter paruisset. Triumphabant inter hæc Conradi adversarii & Canonicis nostris insultabat populus ad credenda semper quævis de personis Ecclesiasticis proclivis-

## §. VI.

## Cassatur publice Processus contra Conradum institutus.

Quid in hoc rerum articulo ageret Conradus ? ad quod Palladium confugeret ? nunquam illum deseruit in adversis patientia, animique laudabilis constantia, bonitati causæ suæ confisus, Divinæ Providentiæ se totum commisit. Succurrit illi etiam quasi ex Machina Deus; Eberhardus enim laudatus supra Augiensis Abbas punctum temporis adesse ratus, ad se vocavit Conradum ac recta cum illo perrexit ad Henricum Episcopum illique nullitatem instituti Processus ad oculum exposuit, petiitque, ut fulminatas contra Conradum censuras Ecclesiasticas publice latas, etiam publicis litteris cassaret, revocaret, & tolleretur iustitia id exigente. Cum magna energia, ac prolatis documentis hanc informationem suam veraciter instrueret, etiam Henricus Episcopus resistere amplius noluit, ac datis ad Henricum Krafftium cassationis litteras ad solatium Conradi subsequentes misit, ex quibus tota rei series hætenus narrata in lucem ponitur?

Henricus Dei gratia Episcopus Constantiensis, Plebano in Ulma, cæterisque ad quos præsentibus pervenerint, salutem in Domino. Dudum fama publica deferente, quod Conradus de Ballendorff, Præpositus Monasterii in Insulis prope Ulmam, bona ejusdem Monasterii graviter dilapidaverit, & aliis pluribus foret criminibus irretitus, ad inquisitionem contra dictum Præpositum super dilapidatione & criminibus hujusmodi duximus procedendum, ac in hujusmodi inquisitionis negotio nobis procedentibus comparuerunt coram nobis Venerabilis Pater Dominus Eberhardus, divina promissione Abbas Monasterii Augiæ Maioris, ad Romanam Ecclesiam sine medio pertinentis, & Conradus Præpositus memoratus, & quod nos in dicto negotio procedere non possemus, neque deberemus, ex eo quod Præpositi Monasterii in Insulis institutio & destitutio, ac omnimoda jurisdictio super Eundem Præpositum & Monasterium antedictum ad dictum Dominum Abbatem primo & immediate pertineret, constanter allegarunt, nosque de veritate prædictorum veraciter informarunt, propter quod etiam petiverunt, ut in Processu inquisitionis antedictæ in antea cessarem, ipsumque Præpositum ad dicti Domini Abbatis examen remittere curarem, quod etiam fecimus iustitia exigente. Verum cum nos omnibus censuariis, reiduariis, conservatoribus, detentoribus frumentorum, aliorumque fructuum & reddituum dicti Monasterii in Insulis mandaverimus, ut hujusmodi fructus, census, & redditus provido viro Hermanno dicto Krafft olim Plebano in Ulma præsentarent, in contradictores & rebelles, ac in dictum Conradum Excommunicationis cum pluribus aggravationibus, imo interdicti sententias in loca & Ecclesiarum Parochias in quibus idem Conradus Præpositus moram traheret ad quæ deveniret, & quamdiu in eisdem foret, & post ejus recessum abinde per tres dies proferentur, & nihilominus in loca & Ecclesiarum parochias, in quibus dictum Monasterium in Insulis census, redditus, & proventus, & obventiones, & alia jura quæcumque haberet, Ecclesiastico subjecerimus interdicto adiicientes, ut nullis crederetur litteris absolutionis vel suspensionis sub quocumque tenore vel forma verborum per dictum præpositum impetratis vel impetrandis, nisi quod ipse Præpositus nostris mandatis efficaciter paruisset, vobisque hoc idem constaret. facerent mentionem. Supplicarunt nobis humiliter devôte Dominus Abbas & Præpositus antedicti; cum accessorium debeat imitari naturam Principalis, nosque in principali, videlicet inquisitionis negotio antedicto procedere non potuerimus, nec possumus rationibus præexpressis, quod sententias in dictum Præpositum promulgatas, cassas & irritas nuntiarem, vel saltem ipsum Præpositum ab eisdem absolveremus, aut Cautelam, aliosque, qui sententias nostras quomodolibet occasione processuum nostrorum, ratione negotii inquisitionis prædictæ fulminatorum, tam generaliter, quam specialiter, sub nominibus expressis forsitan incurrerunt, ab hujusmodi sententiis Ecclesiasticæ censuræ, quocumque nomine censeantur, absolvere, ac interdicta prædicta omnia tollere & relaxare dignaremur. Nos attendentes hujusmodi supplicationem juri fore consonam, ne falcem nostram in messem mit-

tamus



tamus alienam, drædictum Præpositum, & omnes alios & singulos, five nominatim, five generaliter per nos excommunicati fuerint, ab Excommunicationis, & cuiuslibet aliis censuræ Ecclesiasticæ sententiis per nos seu officialem nostrum in Eum & eos latis in Dei Nomine absolvimus per præsentem; interdicti quoque sententias omnes & singulas, in quælibet loca vel parochias per nos seu officialem nostrum, in dictis promulgatas, præsentibus tollimus & relaxamus, ne submoto principali accessorium contra naturam remanere dignoscatur. Verum tamen quod alias ut profertur, inhibuimus, ne quibusvis absolutionis vel suspensionis litteris quomodolibet crederetur, ne inhibitionis huiusmodi sub Prætextu præsentem nostræ litteræ frustrentur effectu, vobis omnibus & singulis, in virtute sanctæ obedientiæ & sub Excommunicationis pæna latæ sententiæ Canonica monitione prima firmiter & districtè præcipiendo mandamus, quod inhibitione huiusmodi non obstante omnes & singulas sententias supradictas per nos vel officialem nostrum, ut præmittitur, sublatis, publicetis vestris in Cancellis, cum si veritas tempore, quo processus prædictos emisimus, nobis fuisset, sicut modo patefacta, inhibitionem huiusmodi nullatenus fecissemus. Sententias quoque interdicti in loca & Ecclesiarum perochias, in quibus Syzo dictus Wagner & uxor sua, Thomas dictus Esnst Schmid, dictus Schüg Agnesa dicta Schlaierwäscherin dictus Schmid de Schwankhofen, dictus Brechtichafner, dictus Bosch dictus Rüssel, dictus der Jung Brecht, & Nicolaus dictus Behrer, conversus Monasterii in Insulis prædicti moram trahunt, ad quæ devenerint, & quamdiu in eisdem fuerint, a Nobis seu officiali nostro occasione Præmissorum, nec non Excommunicationis in Personas eorundem cum subsecutis aggravationibus promulgatas præsentibus omnino tollimus & relaxamus ipsas omnes & singulas ab eisdem sententiis absolventes. Datum Constantiæ, anno Domini MCCCCLXXXVI. VIII. calendas Maij Indictione XIII.

## §. VII.

Cum summo Conradi luctu destruitur ab Ulmensibus Wengense Cœnobium in Insulis.

**E** Scilla in Charybdim incidit post terminatum contra Juris ordinem institutum processum, & cum omnia plaudentibus amicis crederet in tuto esse posita; novus malorum grando in ipsum, Canoniamque suam incubuit. Canonici Wengenses inter hæc litigia indies magis exosi civibus Ulmensibus reddebantur, quare destructionem totius Cœnobii diu meditabantur, cumque a Carolo quarto Imperatore aliisque civitatum hostibus nihil boni propriæ urbi ominabantur, non cessabant Magistris ac Consulibus suis panicum metum incutere, ac Monasterium nostrum extra mœnia positum, ceu Ulmensium securitati civitatis noxium depingere, hostibusque, quos timebant, instar fortalitii olim servitutum describere. Vidit proinde inopinato Conradus Ulmensium Civium armatorum globum suo imminere Asceterio, illudque hostilem in modum ferro & igne depopulari, ac solo æquari. Destructionis modum videbimus infra Synchroni, Petri scilicet Negeri, Calamo veraciter descriptum. En! nova adversitatem Ulmensis Senatus? condolebant Præmures urbis Wengensibus Canonici, & quibus poterant verbis dirum hoc factum calamitosæ necessitati adscribere: ad excusandas excusationes & purgandum hoc facinus omnem eloquentiam consumebant: spoliatis Canonici, & proprio lare destitutis protectionem omnem adpromittebant, ac domum quandam, quæ alias iam ad proprietatem Monasterii nostri pertinebat, ad futuram habitationem donec cessaret civitatis bellum & meliora redirent tempora, assignabant. Ac sequentes Conrado suisque Canonici obtrudere litteras appenso civitatis sigillo & sub fide Magistratus anno 1377. Wir der Burgermeister der Rat und auch all Burger der Stat zu Ulm veriehen offentlich für uns und all unser Nachkomen mit disem Brieff allen den die in ansehend, lesend, oder hörend lesen, wan das ist, das die Erwidigen geistlichen Herrn der Probst und auch der Convent gemainlich der gozhus zu den Wengen sand augustins orden in Costenzer Bistum gelegen, die grossen und werlichen Schaden und angriff, die wir ihnen in dem Krieg, den unser herr der Kaiser und der Kenig, und auch ander Fürsten und herren mit uns und mit andern des heiligen Reichs Stetten in den Punt ze Schwaben gehebt, hand, als gar tugentlich hand faren lassen, und darumb mit uns lieplich und recht worden und überkomen

N n n n 2

sind



sind also das sy derselben angriff und beschediguug gen uns nymer weder äfferen noch rechen solten, und wellen, noch uns in kain weis darum anraichen beküemern noch bekrenkhen, darum und auch um das, das sy desselben ired Schadens in kinfftigen Zeitten der bas widerum ergetzet und geschirmet mügen werden, so haben wir mit wohlbedachten Sinne und mit dieselben vorgeantten des gotzhus zu Wengen und das selb ir gotzhus und ihr gotzhus Leüt und güet gerickhlich schirmen fullen und wellen, als ander unser ingefessen burger an alle geverde also das sy weder Stür dienst Schazunge noch ander Sache wider iren Willen nicht zu mutten, zwingen noch benotten fullen in kain Weis mit urkund dis Brieffs, den wir in darum besigelt geben mit unsern gemainen Insigel das offentlich zugegen hanget der geben ist an dem nägsten Freitag nach sand Lucie tag do man zalt von Gottes gebürd dreüzehen hundert Jar und siben und sibitzigsten Jar.

Eodem, quod bene notandum, die ac anno Conrado oblatæ sunt aliæ litteræ similis fere tenoris, in quibus tamen præter oblatam Protectionem varia onera nobis imponere cogitabant Magistri Civium ac Consules cum aliis civibus communia, quæ adhuc circumferuntur a Præposito Waldseensi vidimatæ, quas tamen nullatenus acceptarunt Canonici prædicto modo spoliati, sed illico rejecerunt ac tantum supra memoratas litteras in veteri nostro chartulario privilegiis Monasterii sui inseruerunt, quin tamen unquam illis sibi satisfactum fuisse pro damnis in destructione hac hostili professi sint, quam variis modis ac subsidiis urgebant apud Magistratum Ulmensem per viginti duos integros annos, post quos tandem inita est plenaria Concordia ut mox videbimus.

### §. VII.

#### Conradus in Sacello S. Jacobi duo erigit Altaria.

Conradus cum suis Confratribus in civium honoratiorum numerum admissus, cum ad celebrandum Divinum Officium, & horas Canonicas pro parvitate Religiosi sui Conventus decantandas Ecclesiam aliam non haberet, quam Capellam S. Jacobi, pro commoditate majori duabus adhuc altaribus illam exornari curavit, quæ Albertus Episcopus Constantiensis anno 1377. sexto nonas Martii ritu Catholico consecravit. In testimonium hujus facti adduco ipsiusmet Episcopi sequentem chartam:

Nos Albertus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Constantiensis notum esse cupimus per præsentis, quod nos anno Domini MCCXXVII. Nonas Martii duo altaria in Capella S. Jacobi intra muros oppidi Ulmensis Constantiensis Diæcesis situata, Altare inquam, in latere dextro ejusdem Capellæ in Honore & memoria Beatæ Mariæ Virginis Genitricis Dei, sancti Michaelis Archangeli, sancti Viti, sancti Urbani Papæ, sancti Modoci Confessoris, ac sancti Nicolai Episcopi & Confessoris: Altare vero in sinistro latere memoratæ Capellæ situatum in honore Sanctæ & Individuæ Trinitatis. *Quinque Vulnerum Domini Nostri Jesu Christi, sanctæ Crucis, sancti Joannis Baptistæ, sancti Laurentii Martyris & omnium Sanctorum*, ad instantiam Præpositi & Conventus Monasterii in Insulis Canonicorum Regularium extra muros Ulmenses de consensu & voluntate Domini Abbatis Augiæ Majoris Ordinis sancti Benedicti, & Rectoris Ecclesiæ Parochialis in Ulma, benediximus, & in Dei Nomine consecravimus. Adhibitis in talibus solemnitatibus solitis, debitis & consuetis. Quorum etiam Altarium Dedicationem posuimus, Altaris præscripti in dextro latere siti, proxima Dominica post octavas Paschæ. Altaris vero in sinistro latere situati, Dominica qua in Ecclesia Dei canitur. *Judicame Deus*, Et ut dicta Altaria condignis frequententur honoribus, ac nomen Domini a Christi Fidelibus digne & laudabiliter invocetur, omnibus Christi Fidelibus vere pœnitentibus, contritis & confessis, qui dicta Altaria in omnibus Festivitatibus suorum Patronorum & in Dedicatione Eorundem, ac in aliis Festivitatibus infra scriptis, videlicet, Natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Parasæves, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, Corporis Christi, Inventionis & Exaltationis sanctæ Crucis, in omnibus Festivitatibus gloriosæ Virginis Mariæ, Nativitatis & Decollationis beati Joannis Baptistæ & omnium Apostolorum & Evangelistarum sanctorum Stephani, Laurentii, Vincentii, Martini, Nicolai, Gregorii, Augustini, Ambrosii, Benedicti, Hieronymi, Beati Dominici, & Beati Petri Martyris Ordinis Prædicatorum, ac in Festis quatuor temporum, nec non omnium Sancto-



Sanctorum & animarum, & per Octavas dictarum Festivitatum octavas habentium, singulis diebus Dominicis & festivis causa devotionis ac peregrinationis accesserint, seu qui Missis, Matutinis, Vesperis, aut aliis quibuscumque devotis officiis ibidem interfuerint, nec non qui ad fabricam prædictorum Altarium, luminaria, ornamenta, aut quævis alia manus adjutrices porrexerint, vel qui in eorundem testamentis, aut extra, aurum, argentum, vestimentum aut aliquid aliud subsidium dictis altaribus donaverint, legaverint, aut procuraverint, quotiescunque, quodcumque aut ubicumque præmissa, aut aliquid præmissorum devote fecerint, de Omnipotentis Dei misericordia beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus Auctoritate confisi singuli Vestrum quadraginta dies criminalium & annum venialium Indulgentiarum de injunctis eis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus perpetuo valituras. Et in præmissorum omnium & singulorum evidens testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus appendendum. Datum & actum, Anno & die prænotatis.

Ex hoc consecrationis testimonio iterum constat, quam familiaris, quam frequens Progenitoribus nostris & Canonicis Wengensibus erga sacra Amantissimi Salvatoris nostri quinque vulnera fuerit devotio.

Conradum Anno 1381. adhuc in vita fuisse superstitem certo constat, cum hoc ipso anno quædam prædiola nostra in Laupheimb locaverit pro vitalitiis Conrado Suberhard de Laupheimb ulteriore illius acta nos profus latent ob dispersionem Fratrum suorum Monasterio carentium. Atque cum hoc Præposito in Insulis ultimo finitur etiam prima Periodus nostræ historiæ, quapropter transicum facio ad Periodum secundam, quæ varias denuo fatorum vicissitudines oculis legentium subjiciet.



## P A R S II.

Sive

### PERIODUS SECUNDA.

Historia exemptæ Canonix Wengensis,  
translatæ in urbem.

#### C A P U T I.

De Petro Neger Præposito Primo intra civitatem.

§. I.

Petrus præficitur Wengensibus Canonicis.

**D**elati tandem sumus ad Periodum secundam nostri exempti Collegii, cujus valde turbulenta fuere initia: Vix non exclamare cum Poeta licet: *Hæc facies Trojæ, dum caperetur, erat.* Muri habitationis nostræ erant destructi, lapides Sanctuarii dispersi totum fere ædificium solo æquatum, fundi montis S. Michaelis autoritate Magistratus oppidanis pro modico pretio locati, Præpositus Conradus desolatus, a suis Confratribus pene omnibus desertus, qui per Sueviam ac vicinas regiones dispersi victum & vestitum apud Patronos quærentes a mendicatu haud longe distabant. Admissi quidem sumus in civitatem, sic Monasterio hostilem in modum destructo, ac per annos satis multos, domum quandam, quæ attinebat ad nos (*Des Hurters Haus* dictam) incoluimus. Verum cum illa omnibus non sufficerent, paucos duntaxat Confratres spoliatus Præsul alere potuit, reliquis, ut jam dictum, alibi sustentationis gratiam quærentibus. Cum paucis itaque filiis suis divina celebrare coactus est in Capella S. Jacobi in foro civitatis extructa quæ tunc Monasterio nostro incorporata fuerant. Hæc ex traditione ad-

Tom. V. Cann. Regg. Orig. Pars altera,

O O O O

no 11.